TECHE
UDINE

MANOSCRITTI

FONDO PRINCIPALE

Manoscritto n. **P_MSS_0748**

Nel Fondo Principale sono confluiti la maggior parte dei lasciti manoscritti pervenuti alla Biblioteca Civica «Vincenzo Joppi» nel corso del tempo: si tratta perciò di un fondo composito nel quale è possibile trovare manoscritti di argomento liturgico, scientifico, giuridico, botanico e altro.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine
https://www.techeudine.it/fondo-principale
https://www.sbhu.it/

Cronache

S. Daniele x

Cargna x

Dignano x

Gemona x

Pordenone x

Cividale x

Oderzo

N. 737 –
755 –

XXXIII
55

№ 748

BIBLIOTECA CIVICA

XXXIII
55

1351 – 59. Notizie sul Patriarcato di Nicolò di Lussemburgo, trascritte dall'opera: Antiquitates Carneae di Quintiliano Ermacora

Nicolaus Bohemorum Regis filius, Caroli quarti frater, ut ad Patriarchatum delectus fuit, nihil sibi dignius arbitratus, quam, ut Predecessoris cedem ulcisceretur magno coacto exercitu Porpetum expugnavit, et evertit, Caporiaci partem solo equavit, Joannem Franciscum Porpetanum, Henricum Spilimbergium, ac Rizzardum Varmensem capitis supplicio affecit, cumque omnes nefande conjurationis reliquias prosequi decrevisset, in Carneam Exercitum duxit ibique Hermannum Luincium Equitem illustrem, magni animi, magneque apud Carnos authoritatis Virum, qui Luincum Castrum, ubi nunc Parochialis Porti Ecclesia extat antiquo jure obtinebat seque eo, et loci natura, et iis quas secum habebat, copiis fretus receperato, animo parato ad se tuendum, quatenus Patriarcha sibi bellum inferre vellet oppugnare instituit. Interim jubet omnes qui arma ferre volerent, quam primum convenire, et in primis Castellanos omnes, inter quos Ruitpertum Subclevium, qui cum longissimam interposuisset moram, tandem ubi nullum tergiversationis locum esse videt, egre obtemperavit.

Hic sibi ob multa comissa flagitia, et precipue ob stuprum

duarum Nobilium Virginum, quas insciis parentibus secum in Castrum suum abduxerat non modicum timens, et Hermano artissimo necessitudinis vinculo devinctus clandestinis cum ceteris Castellanis in dictis Consiliis, de comuni libertate multa questus, non modo Patriarche auxilium denegandum, sed Hermano obsesso subsidium ferendum esse senserat. Effecit itaque ut, et ipse, et Castellani pene omnes litteras ad Hermanum clam mittere decreverint quibus ipsum hortati sunt, ne defficeret animo, sed pristinam virtutem retineret, propemodum enim omnium copias illi in subsidium venturas. Traditis quidam litteris ad Hermanum nocturno tempore perferendis, ille ipse a Patriarchalis exercitus excubiis interceptae, et ad Antistitem delatae sunt; quibus perlectis Patriarcha cognita Castellanorum perfidia, ac nemini communicato Consilio, justoque eum, qui litteras attulerat in vinculis servari, exercitum rei sibi expectandum esse statuit. Postero die Ruitpertus cum nihil de litterarum interceptione audisset, veritus ne a multitudine proderetur, dissimulato consilio in Castrum Patriarche cum copiis suis profectus est, ubi se de diuturna mora purgare coactus, nullum gravius responsum accepit. Hilaris ergo subclericus, quod bene sibi ex animi sententia evenisse putabat, statutum tempus, quo ceteri omnes, qui auxilia polliciti fuerant, convenirent, avidissime expectabat. Interim Patriarcha diei noctisque solicitus, ac vigilans in locis editioribus presidia posuit, hostesque equatione prohibuit.

Erat Luincium Castrum, ubi nunc visitur Ecclesia in sum=
mo, sed leviter declivi Collesitum, cujus radices De=
cano Fluvio alluebantur. Superius erat planities, quæ
duorum fere millium passuum in longitudinem, in
latitudinem vero quingentorum spatia patebant; re=
liqua rupibus, et montibus arctabantur. Hac in
modica planitie Patriarcha Castra posuerat, et ne
repentinis imbribus flumen pertransire prohibere=
tur, et exinde pabula, commeatusque comode appor=
tare, pontem conficiendum curavit, qui pons hodier=
no quoque die Incolis ad Edem sacram convenientibus
inservit. Neque vero obsidionem intermittebat, imo
eo cautius se gerebat, quo proprior erat dies, quo ex
Castellanorum litteris didicerat. Hermano subsidi=
um esse venturum subleviumque habebat in Ca=
stris, cui Consilium suum ignotum esse cupiebat.
Interim quoque die Hermannus ipse una cum Henrico Fi=
lio levibus preliis cum Patriarchali exercitu decerta=
bat, et mox se intra Castrum recipiebat, id agens
consulto, ut Patriarche opera quam maxime posset,
deturbaret, copiasque averteret, quo milites sui com=
modius aquam, cujus premebantur inopia ex preterflu=
ente Fluvio aurire possent. Cum vero ex captivis
cognovisset Patriarcha, hostes diutius aque inopiam
ferre non posse (occupaverat enim proxima fon=
tibus loca) eoque redactos, ut si sitim extingue=
re vellent, eis necessario fluvius esset adeundus;
dispositis preliis in eam incumbebat curam, ut o=
mnis Collis descensus diligentius custodiretur, ne

BIBLIOTECA CIVICA DI UDINE

qua nocte perduelles ad agnationem erumperent. Hermanus jam fere egens extrema pluribus, et jumentis et hominibus consumptis, vel erruptione consilium esse capiendum, sustinendum tamen aliquantisper, et experiendum esse decrevit, opinatus aliqua ex parte tot malis remedium ad futurum. Itaque media circiter nocte delectos nonnullos expeditos milites ex Castro adaquatum mittere statuit ea ex parte, qua Flumen Colli subesse ostendimus, juncto eis valido veteranorum presidio, cui Henricum filium prefecit: quod cum ii, qui in Castris erant Comilitones certiores fecissent, a tergo hostes adorti ad unum omnes interceperunt, et inter alios Henricum Hermani filium ad Patriarcham adduxerunt, quo diligenter asservari jusso, sequenti die obsidioni finem imponere cupiens Castrum totis viribus oppugnari precepit. Hermanus cum per multas horas eorum, quos aquatum miserat, frustra reditum expectasset, pessimumque suspicatus eventum nec tamen animo fractus audacter resistabat, sed Patriarcha Hermano nullatenus cedenti Henricum ejus filium in vinculis positum ostendit, minitatus si in pertinacia duraverat, de eo ultimum sumpturum esse supplicium: quem cum vidisset Hermanus Paterna commotus miseratione, statim objectis omnis, non tam sibi, quam filio vitam deprecatus se in patriarche potestatem dedit, qui adeo cojuratorum, a quibus sibi, periculum imminere videbat, odio exarsit, ut quatenus questione adhibita Hermanum, filiumque cedis participes fuisse

comperisset, meritas de eis penas sumere, nulique
reo culpam condonare sibi in animo proposuerit: am=
bas igitur in catenas conjecit, simulque Ruitpertum
Subclerium, quem a Patriarcha, accersitum, invitum=
tamen in ipsius Castra, et dissimulato animo ad=
venisse, cujusque eas; quae ad Hermanum litterae mitte=
bantur, interceptas fuisse docuimus, subito com=
prehendi, et vinctum custodiri jussit, ut conjuratio=
ne patefacta singulos ulcisceretur; et ne hostem post
se relinqueret, neve cui facinoroso imposterum se in
illud Castrum recipiendi facultas daretur, funditus di=
velli jussit, statimque ad Castrum Subclerii conver=
sus cum omnibus copiis omnia ibi imparata offendit,
Ruitperto nihil de Patriarcha cogitante, sique ip=
sius uxore cum Filio impubere cepit, Castroque si=
ne ulla contentione potitus est. Cognita postea
causa cum Ruitpertum, et conjurationis princi=
pem, et plurimorum flagitiorum authorem compe=
risset, eumque una cum Hermano, et Henrico Her=
mani filio capite mulctasset, Castrum evertit. Mi=
noris tunc Ruitperti filius erat aetatis, ideoque cul=
pae expers a Patriarcha creditus; misericorditer igitur
agens sublata modo jurisdictione, Paterna bona,
ac Feuda ei restituit; atque inde Invillinum in edi=
to Colle situm profectus, quia omnes Castellanos con=
jurationis conscios sciebat, omniaque Castra in Car=
nea propter nimiam insolentiam, licentiam, libidinem=
que ab omnibus odio haberi constabat, ea penitus
delevit, publico statuto dicto, nequis ea ullo unquam

BIBLIOTECA CIVICA UDINE

tempore instauraret. Clades ipsa tam peculiariter Carneam percussit, quam universum Forum Julium, siquidem ne Castris quidem Faronti, inferioris Mels et Soffumbergii, iisque omnibus, quae superius memoriavimus pepercit. Cunctis igitur solo equatis, jussis conjuratis meritas luere penas, absentibusque perpetuo mulctatis exilio, Nicolaus tandem pecato, ac tranquilo animo Carnee saluti consulere cupiens, quam ob Castrorum desolationem, quae pluribus ejus Regionis Pagis preerant, novis institutis indigere intelligebat, Tulmetium se contulit, ubi aliquos commoratus dies erga se, et Aquilegiensem Ecclesiam Civium Tulmetinorum fidem expertus (quod et ipse publicis testatum litteris reliquit) ut singularis obsequii premia sentirent, et oppidum ipsum pro Communi utilitate augeretur, contraque hostiles impetus muniretur Communitati Tulmetii omnia vectigalia, ac Census Aquilegiensis Ecclesie, tam in Oppido, quam in agro debitos in annos viginti condonavit, ea tamen lege, ut ad Oppidum muniendum, meniaque perficienda inservirent. Nec satis. Animo volvens dispersas Universe Provinciae Jurisdictiones, omnes in unam colligere statuit, sicque totius Regionis Regimen predicte Communitati concessit. Statuit insuper, nec impostevum ullum pignus ultra denarios quinque alibi, quam Tulmetii venderetur, et ne ulle controversie, quae octo denariorum summa excederent, ne Civiles, Capitalesque questiones a quopiam alio in Carnea, quam ab ejus prefecto, quem Gastaldionem nuncupa-

vit, et judicibus, quorum allectionem Communitati per-
misit (ut in ejus diplomate satius habetur) termina-
rentur.

Eximia hac liberalitate devicti Tilmetinorum animi, sibi-
que honorificum quidem sed grave impositum onus
ab amplissimo Antistite sentientes, ut scilicet tot
hominum millibus praeessent sibi ipsis, in primis
leges dicere, moresque cuncta ad rectum vivendi ordi-
nem pertinentia in unum conflare, ac sancire sta-
tuerunt. Sex igitur Consules initio creati, iisque com-
missa potestas revocandi, ac quatenus opus foret corri-
gendi statuta ad rectum imperandi modum facientia,
quae quidem in ea quae nunc nititur formam decreta,
et a Consilio, et ab ipso etiam Antistite comproba-
ta fuere. Viginti exinde Consiliarii electi ex Civium
numero, quibus Oppidi totiusque ditionis administratio
demandata; et si unus vita migraret, statutum
fuit, ut sequentis Comitiorum die, qui est pridie
Kalendas Januarii, alter per majorem Consiliorum
partem datis suffragiis in mortui locum substitue-
retur. Verum ne pauco in numero aliquando Consangui-
nitatis vinculum recte regendi ordinem interverte-
ret, sancitum fuit, ne duo ex eadem Familia fratres,
utroque vivo inter Decuriones conscriberentur.

His ita statutis, moenia perficere, forisque Oppidum cir-
cum=vallare coeperunt, omnibus Carneae Populis, ju-
bente Patriarcha, opem ferentibus, alteramque
Turrim in Monte Oppido super posito ~~alii~~ erigere
decreverunt cunctis, quae ad opus perficiendum ne-

cessaria forent comparatis. Eodem fere tempore Equi
donis Sancti Galli Abbatis litterae Tulmentinis al
latae fuere, quibus Ventionensium pedites popula=
bundos ejus jurisdictionem ingressos, Arcemque ipsam,
et Abbatiam obsessam significabat. Austriacis tunc
Ducibus parebant Ventionenses, ex quo Tulmentini
Amici Abbatis periculum non negligendum arbitrati,
et potissimum, quod interna Patriarche familiaritate
additum non ignorarent, collecto non spernendo mil-
litum numero, nulla mora in Abbatis subsidium mo
vent quorum cognito adventu, Ventionenses, receptis
nocturno tempore Castris, re infecta Ventionum re
vertuntur.

Fabii Quintiliani Hermacore de antiquitatibus Carne.

XXXIII
55

XXXIII

XXXIII
55

De Antiquitatibus Carneę

Libri IV

Fabii Quintiliani Herniacorę

Trascritta da un Codice della Bartoliniana -
da G. D. Ciconj. 1846.

Nota del Commendatore Antonio Bartolini – autografa –

Il Ch. P. Paciaudi nella bella Prefazione alle sue Memorie de' granmaestri dell' Ordine Gerosolimitano. Parma 1780. 4.° pag. VIII

" Pochi ignorano che gli Storici della Monarchia di Francia
" e delle sue Provincie sono stati per avventura i primi
" che all' esatta descrizione delle cose accadute aggiungessero
" i documenti che le comprovano. Il loro metodo fu ben
" presto ricevuto dall' altre nazioni, e tante voluminose
" istorie venute in luce da un secolo in quà, sono di
" questo genere "

Se egli avesse veduto i nostri storici M. Antonio Nicoletti, il Liruti, e l' eleganttissimo loro contemporaneo Fabio Quintiliano Ermacora De Antiquitatibus Carniae, i quali scrivevano oltre a due secoli fa, avrà compreso che siffatta giustissima lode non si deve ai soli Storici Francesi.

Notizie sopra l'Autore estratte dalle Notizie delle Vite dei Letterati del Friuli di G.G. Liruti. Tom. IV pag. 400 –

Fabio Quintiliano Ermacora fù nome vero nacque da Daniello Ermacora nobile di Tolmezzo, e fù fratello di Pietro che viveva nel 1501. Pare che gli Ermacora fossero un ramo della nobile famiglia del Castello di Socchieve – Visse e scrisse nel fine del quattrocento. Può esser noverato tra' friulani ristoratori della Lingua Latina. Cominicia la storia dai tempi Romani e la prosegue sino alla dedizione ai Veneti. Anch' esso travia intenendo che Giulio Carnico sia Forogiulio e vi riferisce gli avvenimenti di quest ultimo. La lettera dedicatoria alla Comunità di Tolmezzo pare sia d un Gittenio che nel secolo XVI divisava stampare l'opera dell'Ermacora. –

Nota dell' amanuense G.D.C.

Scrivendo l' Ermacora a pag. 32 = Nuper vero Cesar de Nores Parentinus Episcopus apostolici Visitatoris munere fungens in Patria ec = e sapendosi che il de Nores visitò la Diocesi aquilejese nel 1585; [G. Francesco Palladio. Hist. del Friuli parte II pag. 217] emerge che quest'opera sia stata scritta non sul finire del secolo XV come vuole il Liruti, ma bensì sul termine del cinquecento. –

Nobili et Perillustri Tulmetij Communitati
S. C. S. D.

Quod vetera Provinciarum monumenta, qualitates, mores, res gestae aliquando seu turpi demandatae oblivioni perierat, aut scriptorum inopia, vel sane incuria, id factitatum existimo. Quippe cum Carnica Regio, nunc Carinthiae Forojuliique conterminae, habitantium simplicitate, innocentiaque contenta litterarias artes fore non noverit et agrorum cultu detenta scitos non praestitit homines, qui bella, qui paces, qui foedera, et acta quaeque stylo describeret suo, tenebris sic involuta ac parum ipsi sibi cognita stetit diu Patria donec defluente parum pro aetate excepit animos virtus, et quos rudes effecerat inclementia loci, Magistra rerum scientia expolivit. Hinc polita legibus populi condito sibi plurimarum regimine sub imperium dati: statuta, sanctiones, et quae ad bene vivendum opitulari visa sunt decreta, atque ut non modo pacis sed belli etiam temporibus res suas tutari apprime valerent, Comitijs Tulmetium veluti Provinciae caput deportatis, Communitati summa rerum demandata est. Quae vero in calescentibus annis peracta sunt, quae res aut propria, aut aliena urgente Dominatione fuerit subsecuta, unus Fabius Quintilianus Hermacora Patrio consulens nominis unum congerere expositis ab Archivio publico memorialibus, decimo quinto jam exacto prope finem saeculo opere pretium duxit. Hujus manuscripta malo facto diu latitata, ac fere deperdita, tandem nec sine numine tenui, sed qualia ignarus exarator ex vetusto ejus exemplari deprompsit; ut addere manum, et in occursum ludiis ire neces-

sum fuerit. Quare ne benemerentis Concivis nostri labor deperreat, neque quæ litteris digna in Provincia evenere in cassum eant, præli statim demandare ipsius meæ Patriæ decori auspicato prospiciens. Hic Regionis status, conditio, mores, et quæ memoria obliterata videbantur monumenta, res gestæ belli, pacisque; consilia in experto sunt nec sociali quadam necessitudinem decerunt Forojulii notitiæ, videlicet qui fuerit Patriarcharum ambitus dominatio, vires quæ Jusdicentium Castellanorum factiones, fœdera et a Dominio defectiones; quæque Germanorum, aliorumque Principum decursiones, et induciæ, addita quoque scriptoris opinione pluribus suffulta auctoritatibus et argumentis, ubinam et quale fuerit Oppidum Julium a Cajo Julio Cæsare extructum, vel ejus nomine auguratum. Tu interim Nobilis, et vetustatis seculis Spectata Communitas grato excipe animo quas tibi dat Concivis tuus Quintilianus inclitandas Majorum memorias, et quas plurimis expurgatas mendis, quoad fieri potuit, honorifica ferme munera, alter filius tuus altro tibi defert et dicat. Vale et semper vale. –

4

Fabii Quintiliani Hermacoræ
De antiquitatibus Carneæ Liber I

Universam Regionem illam, quæ inter Liquentiam flumen Tarvisinum agrum terminans, et Adriaticum Sinum, Istriam, Iapidiam, Alpesque superiores Italiam a Germania dividentes continetur Carnorum Provinciam antiqui nominavere; ejusque Incolæ Carni populi dicebantur: cujus metropolis fuit Aquileja Civitas nobilissima Romanorum Colonia, in qua quam Cajus Julius Cæsar, cum Proconsul in Gallia bellum gerebat, tres legiones in hybernis collocare consueverat. Omnis ea Provinciæ pars, quæ a flumine Tella, quod prope Ventionum Oppidum in Tilaventum labitur usque ad mare protenditur, mutato priore nomine Forumjulii dici cæpta est, illiusque Populi Forojulienses appellari: reliqui vero Populi qui a flumine Tella supra Alpes incolunt, et antiquum nomen retinuere, et hodierno quoque die Carni Populi passim nuncupantur.

Hujus autem Superioris Provinciæ, descripturus antiquitates, antequam rem ipsam aggrediar, illius situm, locorum qualitates, et incolentium mores explicare operæ pretium existimavi, ut qui hæc perleget, quid ubique in ea gestum sit facilius intelligere possit.

Omnis igitur Regio in quatuor partes divisa est, quæ, communi illis gentibus vocabulo, et Quarteria et Canales appellantur; Quorum primum ad Orientem Solem vergens Incarojum nominatur, habetque Torrentem nomine Clanforium, vulgo dictum Chiarsò, quod medium interfluit, quodque Butim fluvium ingrediens ambo Tilaventi aquas adaugent; quod vero ad Occidentem protenditur, Subclivi Quarterium est,

in cujus capite Tilaventum nobile flumen exoritur. Medium in locum huic proximum Quarterium Gorti tenet, cui adhaeret Quarterium D. Petri a vetustissima Ecclesia Collegiata et Apostolorum Principi dicata nomen trahens. Hoc vallis Butim rapacissimum flumen excipit, Gortum vero Decanum, quae diversis itineribus in Tilaventum delabuntur. Accedit Gorto Plavis fluminis celeberrimum, quod ex monte quodam Satia vocato ortum ducens, indeque Vallem Sappatam pertransiens, cujus incolae etsi Germana plerumque utantur lingua, inter Carnos tamen connumerantur, et Tulmetinae Jurisdictioni parent, per Cadubrensium montium anfractus sylvestribus ripis praeceps inter saxa devolvitur et mox Agro Bellunensi exceptus, illudque clementiore alveo praeterlabens, et navium pondera sustinens Adriatico mari sese immiscet.

Habet etiam Quarterium D. Petri Lacum subtus Pagum Timavi ex purissimis aquis ibidem scatentibus confectum qui exquisiti saporis Tructas incolis subministrat; ex Regione vero ipsi Pagi ultra Butim ex quodam monte qui ex praeruptis undique saxis constat in cv. passuum altitudinem: unico tantum ore uberrimae et perennes aquae erumpunt, quae illico ad Pistrina plurimumque officiarum usum large abundeque sufficiunt. Paulo infra ex altero Primosii montis latere exoritur Rivus nomine Moscardus miræ rapacitatis cujus alveo incredibilis magnitudinis saxa praecipiti gurgite rotantur modo in summum se tollentia, modo sese ad imum deprimentia; ita ut eo durante vorticimis impetu aqua nullibi appareat: quo saepe fit ut illac iter facientes siccam, aridamque arenam quae solidae telluris prae se fert cernentes in eam ingressi et ipsi et equi pectore et capite tenus

demerguntur neque inde evadere possit sine aliorum subsidio, qui ipsibus suppositis ne et ipsi in easdem incidant vertigines, tandem egre tam inde ~~inde~~ educunt, et periculo liberant.

Solet preterea Rivus hic, quod mirum omnibus videtur, vel nullis imbribus estivo etiam tempore, placido ac sereno celo, eximie magnitudinis saxa secum trahere, eosdemque vortices efficere, quos pluviosis, nimbosisque diebus inducit, nullibi ut diximus, proxus aqua apparente. Idem quod traditum a Joanne Bocacio de Torrente quodam Cerettonio inter Pistoriensem et Lucensem agrum fluente, hoc uno tantum a nostro differt, quod ille decennio tantum sive paulo longiore intervallo, subito ac fortuito motu, magnorumque ex imo telluris ventre lapidum sonitrone vel incolas ipsos fallat meantes; hic vero singulis estivis temporibus easdem repetens vices, quam plurima damna agris, quos inter montium fauces lapsus preterfluit, quotannis inferre consuevit: et cum nullum certum latentis vis argumentum afferri possit, incolentium metus et opinio, vel sane veritas rei efficit (nil nam affirmare temere ausim) ut aliqua ejusdem commotionis ratio adducat. Quidam nam pastores illius Primosij montis Caude eo missi diversis temporibus, constanter affirmare non dubitarunt, sepe a se dum greges et armenta illic pascerent, posito sereno celo tamque vocem hominis immanem aliquam molem attollentis exauditam non sine magno suo pavore, eodemque pene momento ingentium saxorum et ipso monte excelsorum fragorem, aeris etiam aliquando commotionem, tonitrua et grandines subsequi solere, nonnullosque interdum boves prope ipsum locum tras

depascentes præcipites actos. Quæ omnia adscribunt veteri perjurio in ipso monte à quodam Domino, dum de ejus finibus controversia et lis esset, perpetrato; cujus paulo post secuta morte ingentes terrentesque voces in hunc usque diem exaudiri, et horribiles quasdam species illis in locis versantes videri asserunt.

Sunt etiam præter eos qui supra dictis Quarteriis continentur plures Pagi circa Tolmetinum Oppidum totius Carneæ caput, cui nomen dederunt præterfluentes aquæ Tilaventi, fluminis totius Forojulii celeberrimi, quod et ante conditum Oppidum, et postea per multos annos Teulmentum vulgo dicebatur, eoque nomine antiquitus appellatum fuisse tam publicæ, quam privatæ Tabulæ testantur; postea vero mutato nomine a Tila, et Veneto ex Phætontis genere ortis Tilaventum dici coeptum est. Constat siquidem Phætontem ex Attica Regione profugum cum Ligure ejus ditio, a quo Liguri dicti sunt, in Italiæ Occidentale partim sese recepisse Orasque illam, quæ nunc Venetia dicitur tenuisse, ex Ligure vero Cygnus qui Cenomenis nomen imposuit originem ducit; et ab hoc Cyeno Eridanum, qui Eridano fluvio, qui hodie Padus dicitur, nomen indidit, et ex Eridano Venetum, qui Venetiam Oram a se jussit appellari genitus fuisse præferunt, a quo Tila demum exortus suo et paterno nominibus injunctis Tilavento nomen fecit.

Cæterum hi Pagi in Plebes (sic nam nonnullorum virorum collegia Patrio nomine nuncupant) dividuntur. Quarum primum tenet locum Plebs Tolmetii in eminenti ultra Butim edito loco; proxime vero sunt Plebs Invillini et Cavatii, quæ singulæ plures complectuntur Pagos. Habet

Habet nam Plebs Cavatij Lacum ab eadem denominatum qui in longitudinem se extendens ultra passus mille, in lati-tudinem vero aliquanto minus, non solum perfecti saporis Tructas viginti ponderis, sed etiam Anguillas ejusdem pene magnitu-dinis nullibique loci secundas, Lucios etiam, et Tincas quales nusquam alibi reperias, optime alit; nil nam sordis in eo residens, sed illum puræ nitidissimeque aquæ ex proximis montibus prodeuntes efficiunt.

Continet hæc omnis Regio Pagos CLII. Sterilis nam adeo est, ut cum ob ipsius agri infecunditate, tum ob fluminum rapacitate quæ incredibili impetu e montibus devoluta, et nullis alveis con-tenta in agros undique irrumunt, et magnos terræ cumulos se-cum trahunt, fruges ad habitantium comodum, victumque necessarium præstare nequeat. Importatis ex Forojulij frugibus, ac Vinis maxime utuntur, magnusque apud eos lactis pecco-risque usus est: Pascua nam habent uberrima, montesque non minus ad pecudum innumeram turbam alendam aptissi-mos, verum etiam proceris arboribus tam ad navalem, quam fabrilem, eo ujus usum pertinentibus refertos. Prætérea hujus Re-gionis in textoria industria, variique generis mercatura, quam non modo in Italo et Germanico solo, verum etiam in totius fere terrarum orbis partibus circumferunt, sibi, et suis victum quærunt. Ex quo, non quemadmodum nonnulli falso opinant, eos hebetes esse, stupentesque natura, sed potius callido admodum, et sagaci ingenio res ipsa demonstrat: corpus nam animumque assidue exercent, diversamque rationem, quam omnes fere Rustici sequuntur inierunt. Illi nam frigoris partis plerumque fru-untur, nam hyemali tempore focus ac sub Dio stant, sibique adjutoria senectutis labore et industria parant. Sed

neque eos agriculturam omnino neglexisse existimet; nam quotannis ineunte æstate ad fruges colligendas domum revertuntur, exactoque reliquo anni tempore domesticis rebus compositis, ac semente peracta per hyemem intermissa negotia statim repetunt, ex quo magnam sibi pecuniæ vim comparant. Sic nec agriculturæ, quæ ipsis solatii ac requiei loco est, neque peregrinationis et laboris allicente spe lucri eos societas unquam capit.

Quod Joannes Candidus Commentariorum Aquilejensium Libro primo asserit Carnis Populis guttur adeo contumescere, ut mamillas plerumque excedat, credo doctissimum, et in historia conscribenda diligentissimum virum locorum imperitia quod ejus pace dictum sit, facile in errorem adductum; rari nam sunt in hac Provincia qui hujusce modi morbo laborent. Est tamen Vallis quædam huic Regioni finitima quam Juliam latino nomine nonnulli dixere; incolæ vero Ziliani a flumine quod eam intersecat appellant in qua maxime circa locum nominis Lapacchium magna hominum pars aquarum quibus utuntur, ut ipsi asserunt, vitio, incredibilem gutturis tumefactionem patiuntur: nec solum hac corporis deformitate, sed etiam quadam mentis stoliditate animique torpedine quamplures efficiunt, ut etiam loquelæ usus ademptus esse videatur. Quapropter a quibusdam Germaniæ Principibus, (Vallis hæc inter Germaniæ partes enumeratur) ut pleni divitiis et opibus affluunt hujusmodi homines joci loco in deliciis habent, et eos in conviviis tempestivis adhibent, eorumque ineptiis ad cachinnos risumque excitant, ut etiam superiore anno quidam in gratia nonnullorum Nobilium non paucos hujusce generis homines ex eo, quem supra memoravimus loco, plaustris Viennam

usque advenit. Ego tamen magis pii, ac christiani animi fore dixerim ipsorum infelicitate ac miseriis moveri quam stultitiis delectari.

Sed nos ad propositum iter revertamur. Hæc metallicarum divitiarum prorsus expers non est Carnorum Provincia, argenti nam fodinæ extant in Primosio monte prope Pagum Timavum, et etiam in Avantio Canalis Gorti. Ex monte quoque Divi Petri prodeunt quædam aquæ, quæ vernaculo sermone Puidias vocant tam hyberno, quam æstivo etiam tempore ebullientes nec minus colore quam sapore, odoreque sulphureo, quibus accolæ persæpe ad scabiem expellendam et ad omnia alia, in quibus sulphur adhiberi solet utuntur. Duæ quoque circa Tulmentum, nec non et infra, et supra exoriuntur ex quibus vinum efficiunt, quod licet hyemem durioris digestionis, acerbumque videatur, æstivo tamen tempore, in mitiorem redactum naturam, et stomachum non adeo lædit, et sitim mire depellit. Carnes quoque cujusvis generis, et lacticinia in proximis locis primum sibi numerum vindicant. Præterea venationibus, et aucupio locus ipse consulto a natura editus esse videtur, in quo quidem leporum, ac cujusvis generis avium ubique copia reperitur. Gignunt montes superiores, et altiores Alpes candido ac niveo colore lepores, quos laqueis a venatoribus captos nobis non semel, et videre et comedere licuit.

Quarterium illud, quod longissime ab Oppido Tulmecij extenditur, triginta, quod vero proxime, viginti millia passuum complectitur.

Fuit olim in hac Regione ad radices montis Divi Petri vetustissimum et nobilissimum Oppidum Julium Carnicum appellatum, in quo nunc est parvus Vicus, qui adhuc Julii nomen

retinet, pluresque diversis in locis arces et castra ad numerum XXIV, ex quibus sunt Castrum Tulmetij, Divi Laurentij, Tusee, Verzegnis, Invilini, Subchoij, Nonte, Luincij, Seccie, Sutrij, Duronis, Siaij, Illegij, et Cavetij paulo supra Lacum, quem superius descripsimus, siti. Ceterorum vero nomine vetustate, ac Scriptorum inopia periere, de quibus alibi plura dicturi sumus. His singulis deletis, omnium horum Populorum jurisdictio per Patriarchas ad Communitatem Tulmetij delata fuit, et adhuc Venetæ Reipublicæ benignitate apud ipsam eadem residet authoritas, ut inferius demonstrabimus. Qualis nam fuerit totius

Qualis nam fuerit totius Forijulij status ante Aquilejam conditam cum propter edacem temporis vetustatem ipsius ut non satis vera sic pauca haberi potuerint notitia, brevi compendio res tantummodo Carneæ descripturus hic omittendum esse duxi.

Postquam igitur S.C. Decreto a Publio Cornelio Scipione Nasica, Flaminio, et L. Manlio Acidino Latina Colonia Aquilejam deducta esset, omnem Provinciam tam Superiorem, quam inferiorem Romanorum Præsides et Duces Aquilejæ sedem suam statuentes regere consueverunt usque ad annum Domini 412, quo Alaricus Gothorum Rex e Scithia cum CC militum millibus Torrentis instar Forumjulij ingressus superiorem et inferiorem Regionem cædibus, ac incendiis vastavit, Romamque quondam Orbis Dominam per annum obsessam, fameque consumptam cepit et incendit anno ab Urbe condita MCLXIX.

Parvo postea interjecto tempore Valentiniani Imperatoris tempestate Attila Hunnorum Rex innumeram Barbarorum, Hunnorum scilicet, Gepidarum et Ostrogothorum phalangem

secum trahens Istriam devastatam, Aquilejam per triennium obsedit, sedente tunc Niceta Patriarcha XIX post Divum Marcum: Concordiam quoque et Altinum devastavit, ac omnem Forojulij Regionem, maximamque Italiae partem incendijs, rapinis, ac caedibus foedavit. Quo tempore ferunt, Arcem Utini, quae in edito loco sita, veluti specula domos supereminet omnes, ita ut ejus prospectus in Patriam fere universam se extendat, ab Attilae militibus, Aquilejae obsidione durante conditam fuisse.
Ab his nam temporibus usque ad Imperium Justini Minoris tam gravibus et frequentibus Barbarorum incursionibus Italiae Regiones afflictae sunt ut ad nihilum propemodo redactae viderentur, dum brevi spatio diversis tam origine quam moribus, efferatisque nationibus miserrime cuncti inservire cogebant. Forojulienses et Carni eandem quam ceteri Italiae Populi fortunam experiebantur, et cofortasse graviorem quod ut omnes pene in Italiam irruptiones per Noricum et eam quae nunc Carinthia dicitur Regionem a Barbaris factae sint, Forojulienses et Carni primi videbantur expositi ad expellendam immanem Italici sanguinis sitim, quam ipsi Barbari praeseferebant. Infra nam praedictus tempus post Attilae obitum, Ostrogothi Duce Theodorico Forumjulij ingressi prope ruinas Aquilejae Odoacrem Italiae Regem praelio superant, omnemque demum Regionem circumjacentem, ac Italiam universam pervagati innumeras ubique stragres, ac direptiones addidere. Hos consequtus Totilas Gothorum Rex, imperante Justiniano, Forumjulij ingressus universam Provinciam ipsam, Italiamque afflixit, ac Romam cepit et devastavit.
Alboinus demum Longobardorum Rex, imperante Justino Minore, sedente Benedicto I Pontifice, Martino XXIX Patriarcha Aquilejae, Pannoniam linquere, et Longobardos in Italiam ducere

constituit, innumerisque suis copiis XXX Saxonum millia adjunxit, et per eam quę supra diximus semper ad Italię exitium patuit portam, Per fecit Pannoniam descendens per Noricum, quę prius Bajoaria, nunc Austria dicitur, in Provincia Forijulij pervenit omnemque Regionem illam tam superiorem quam inferiorem sub ditionem accepit, cumque Gisulphum Nepotem ei Provincię prefecisset, reliquas Italię Urbes oppugnare instituit, prout revera majorem illarum partem quam cito subjecit.

Firmata ibi Longobardorum sede, et vita privato Alboino, Nobiles Longobardi perempto successore Cleffo, triginta ex Primatibus Duces creavere, quibus singulas Provincias regendas commiserunt quam regnandi rationem longevo postea tempore servaverunt, donec abominati tot Ducum tyrannidem ad monarchicum dominium reversi sunt. His nam Juliensium Carnorumque Provinciam una cum ea Italię parte quę adhuc ab ipsis Lombardis nuncupatur sub Ducum titulo regentibus circa extremum Phocę Imperij tempus, sedente Bonifacio IV Pontifice maximo, Hunni et Avari, qui et Bavari dicuntur e Norico in Italiam profecti Forumjulium invasere, quibus intimas ejus Provincię partes tenentibus Gisulphus Dux cum omnibus ijs Provincialibus qui ad arma ferenda erant idonei, occurrit, collatisque signis acriter utrinque pugnatum est, quo in prelio Gisulphus multis confossus vulneribus obijt; cęsis etiam quamplurimis Longobardis militibus. Avarus autem victor Provincia passim rapinis et incendijs vastata, cunctisque circum Oppidis Cormona, Juliet, Artenea, Glemona, et Osoppo per vim aut in ditionem receptis, cum exercitum ad superiores Carnorum partes se contulit, quia in Oppidum tunc munitissimum

in ipso Alpium ingressu positum Gisulphi conjuge locorum naturam fretam una cum Primatum Longobardorum uxoribus opes omnes intulisse cognoverat.

Obsiderunt igitur oppidum Bavari, seu Avari, eoque brevi tempore novo proditionis genere potiti sunt. Cum nam Romildaro Gisulpho viro, ut supradiximus, orbata Avarorum Regem juvenem crispo capite insignem aurataque clamide fulgentem circa Oppidum equitantem fuisset intuita, statim ejus amore capta sese Oppidumque ei tradit, pacto prius inito de conjugio cum ipso contrahendo. Bavarus acceptô in ditionem Oppido una tantum nocte foeminam ad se admisit, quam postea duodecim militibus tradidit abutendam, divisaque plebe, ac preda ex oppido asportata, illud combussit funditusque delevit, adeout vix ulla vestigia postea apparuerint. Licet nonnulli, inter quos est Candidus Commentariis Aquilejensibus Libro IV, hęc eo in loco evenisse scribant, ubi nunc est Civitas Austrię, ibique Julium oppidum ab Avaris destructum fuisse asserunt, opinio non placet. Ego pluribus nixus argumentis affirmare ausim hęc potius in Julio Oppido quod in Carnea nobilissimum extitisse non ambigit (quo in loco adhuc est Pagus Julium appellatus) ab Avaris fuisse gesta, Blondus enim Decade I lib. 9. Julium supramemoratum in ipsis montium faucibus positum fuisse scribit idque Justinianus Venetus Historiis libro 7. confirmat, quod quidem de situ ubi Civitas Austrię posita est nullo modo dici potest cum hęc in plano, patentique loco existat. Quocirca omnibus probabilius esse debet Longobardorum Ducem, reliquisque ejus gentis Primates, uxores et Gazam in Oppidum Julium inter Carnos situm contulisse, cum et ipsum in montium faucibus extet, et triginta fere milia passuum distet

distet a locis hostium incursionibus expositis. Quo quidem in loco et arte et natura munito exiguo militum præsidio contra longe majorem hostium numerum facile defendi poterat, quam in plano et patenti oppido, ac primis inimicorum in Provinciam irrumpentium incursionibus exposito cujusmodi est memoratæ Civitatis Austriæ situs; omnes nam vias quibus in Italiam Barbaris iter patuit una hanc Civitatem vel paulo longius esse nemo est qui nesciat. Hujusmodi sunt viæ Montisfalconis ex Istria; Nontia longe latissima ex Liburnis, Pannoniis et Noricis et Tulmina ex Carinthia: ...

Constat præterea Julium antedictum funditus ab Avaris eversum ut Blondi verba plene demonstrant, hæc nam scribit: Præda ex Oppido asportata Avari ædificiis ignem immiserunt, nec prius inde movit Rex quam Oppidum munitissimum ardenti, ruinis, solo æquatum. Sabellicus quoque de vetustate Aquilejæ lib. 4. post descriptam Julii eversionem subdit: Quæ si ita se habent Paulus Diaconus qui ejus rei Autor est videat quomodo Oppidum, quod Civitatem appellat Forojulii esse possit cujus vestigia non modo non evanuere, sed inter Oppida Patriæ longe ipse frequentissimum sit. His accedit Clarissimus nobilitate et doctrina Bernardus Justinianus in Venetæ Historiæ libro 7. descripta prius Oppidi destructione. Illud, inquit, Avari ab ipsis radicibus everterunt, ut non solum ~~ut non solum~~ restauratum sit nunquam sed ubinam situm fuerit nullis certioribus vestigiis aut monumentis constet, nisi quod, dum in ea Provincia legationis munere perfuncti admiraremur interiisse nobilis Oppidi vestigia et scrutaremur et incolas et locum repertus esse in ingressu Alpium aliquanto supra Tulmetium

eius adhuc cum nobili Ecclesia, ubi pavimenta conspiciuntur musaico opere depicta, et lapides juxta Templum antiquus et magnis incisi litteris. Ejus loci nomine cum quæsieremus, et Iulium respondissent, facile intelleximus locum esse quem quærebamus et Iulium corrupto nomine appellari. Hæc Iustinianus.

Constat enim pluribus argumentis Oppidum prædictum a Iulio Cæsare conditum fuisse cum illac ipse cum exercitu contra Helvetios proficisceretur. Audito nam Helvetiorum motu, Cæsar, ut idem ipse libro primo de Bello Gallico testat, duas in Italia legiones conscripsit, et tres, quæ circa Aquilejam hyemabant ex hybernis eduxit, et qua proximum iter in ulteriorem Galliam per Alpes erat, cum illis legionibus ire contendit; cæterum nam alpium aditum Helveti occupaverant, præsidioque munierant ne illac Romanus Consul exercitum traduceret. Porro hodierno quoque die nulla est frequentior aut brevior via ex Forojulij in Helvetios proficiscentibus vel inde huc remeantibus quam ea quæ tendit per montem Crucis, in limine Quarterij Sancti Petri situm, in quo Iulium quoque Oppidum extitisse demonstrabimus: quo in monte via, quæ ante difficilior fuerat, permeabilis ut fieret a Iulio Cæsare curatum est; cui rei monumento sunt quædam litteræ in medio fere montis ascensu magno incisæ saxo, quæ hujusmodi sunt.

IVLIVS CÆSAR HANC VIAM INVIAM

ROTABILEM FECIT

Ea vero ratione Oppidum supradictum a Cæsare conditum et munitum fuisse credendum est, cum ut si non perdomito hoste humanæ necessitatis vis eum a Gallia, quam petebat, repulisset, id post se relinqueret, veluti liberi regressus pignus et

præsidium; tum etiam, ut si Barbari in Forumjulij ingredi conarentur, Oppidum in alpium radicibus tamquam firmum propugnaculum eorum incursionibus opponeretur.
Sunt præterea Pagi nonnulli tam supra, quam infra locum, in quo Julium esse diximus quorum nomina redolent antiquitatem, ut Vonnię, Seta, Creta, Nuceria, et Satrium, quorum incolæ etiam nostra tempestate pavimentorum vermiculato opere fragmenta, marmoreasque columnas fractas exaravere. Urnæ quoque in quibus mortuorum cineres antiqui reponebant repertæ sunt, nec non plura sepulcra e magnis quibusdam saxis excisa.
Probat insuper tum nobilitatem tum antiquitatem vetustissimum Templum in elato montis cacumine positum, et Apostolorum Principi dicatum, cui Præpositus cum octo Canonicis inservit, quorum quidem Capitulum, præter Aquilejense, cætera totius Patriæ vetustate præcedit, habetque Præpositus locum, authoritatemque suffragij in Generali Patriæ Parlamento.
Multa præterea extant in ipso Vico Julio antiquitatis vestigia, ac inter cętera in vestibulo Ecclesię Divi Leonardi temporis injuria adesum quoddam saxum, in quo hujusmodi litteræ inspiciuntur.

S.S.S.A

PECVNIA . REFECERE . ET . INAVRATA

IN . FASTIGIO . V

ET . SIGNA . DVO . DEDERVNT

ANCO . PL . PRINCIPE

POTIOR . SEX . L . ARGENTILLO

MAG . VICI

Ex eodem loco alter lapis Venetias adductus hujusmodi est

SEX. ERBONIVS. SEX. SEX. FRON

EGONTIVS. PRIMA. ET. I.V.C

X. VOTTICIVS. ARGENTILL. ANO. I

TITICII. T. L. PHILEMO

X ERBONIVS. SEX. L. PHILOGEN.

GAVIVS. PHILEMONII. L. STILARI

EGONTIVS. L.L. STEPANVS

MYTIVS. DITIONIO. SENCTIO

GAVIVS. L.L. GRATVS

LA. RVS. VETTI. T. SER.

AGISTRI ÆDEM HERCVLIS D.S.P.

X ERBONIO SEX DIPHILO

QVINTILIO M. L. DONATO

MAG. VICI

In angulo Ecclesię Plebis Tulmetij ex eodem loco exportatus, ibique repositum est saxum cum suis litteris

M. IVVENTIVS

M. F.C. I.A.

OCCLATVS. VET

CON. VIII. PRÆT

T.F.I. SIBI

Tulmetij quoque in ędibus Josephi Gottardij ex eodem loco aliud saxum

L. COMINIVS L.M.L

HATRIA

L.L.L. PHILOSTRATVS

V.F. SIBI ET SVIS

L.L.L CELO

L.L.L. RATVS

L.L.L. PRINCEPS

COMINIA L.L. VRBANA

L.L.L. GALATA

Duo item fragmenta marmorea in vico Julij in quodam muro inserta inspiciuntur cum suis litteris

PVB. CONSIDIVS

M. ADDVXERE

HOC VICTOR

REGONTIVS

SEMENTI

Multa pręterea ipsius loci vestigia aut vetustate consumpta, (priore) aut alio incolentium negligentia asportata fuere. Hęc nos dissertatione prosequuti sumus fortasse longiore quam res ipsa per se clara exigere videbatur, ut quod verosimilius de Julij Oppidi situ legentibus videbitur, id et probare, et tenere liceat, et ne alicui videremur parum considerate fecisse, qui aliud quam Paulus Diaconus antiquus scriptor, et Joannes Candidus, Vir apprime doctus, de Julio senserunt, tenere, et affirmare ausi fuerimus. Non nam parum hęc argumenta doctissimorum hominum sententia comprobata nobis valere visa sunt ad dignoscendum, utrum in hac potius Carneę Regione an ubi nunc est Civitas Austrię Julium Oppidum extiterit. Ita enim a nobis non contentionis alicujus gratia scripta sunt a qua et natura et instituto semper abhorruimus, sed ut Patrię nostrę, cui vitam ipsam nos debere fatemur, quantum in nobis est monumentis consuleremus.

Julio Oppido igitur ut supra vidimus, feminę libidine et opera capto, funditusque everso magnam Avari prędam ingentemque captivorum numerum secum abduxere, inter quos Taso et Caco majores natu, ac Rodoaldus et Grimoaldus minores Gisulphi filii capti sunt, duęque eorum sorores, quę, non modo forma singulari, sed etiam spectata pudicitia insignes fu=

nis postea Ducibus in matrimonium collocatae sunt. Porro adolescentes interjecto temporis intervallo hostiles manus evaserunt, et in Patriam reversi non modo paternum Ducatum recuperarunt sed etiam ultra Padis hujusque superioris Regionis fines eam Germaniae partem, quae nunc Zelia, corrupto vocabulo, olim Julia dicebatur, initio ostendimus, Imperio suo adjunxerunt. Sed dum Caco et Taso mirabili concordia Ducatum regunt, Gregorii Romani fraude Opitergium accersiti, ibi dolose et crudeliter (licet non inulti) occisi sunt, quorum nece Grimoal-eorum frater Longobardorum Regno adepto graviter ultus est funditus nam Opitergium evertit, ubi caedes parata fuerat.

Tasoni et Fratri in Forojulii Ducatu successit Grasulphus Patruus, egre gie ferentibus Rodoaldo et Grimoaldo Tasonis fratribus, quo vita functo venit ad Ducatus Dominium Ago illius filius, et post hujus mortem Lupus Ducatum adeptus est, cujus quidem nominis mores nimium congruebant; tantae nam fuit rapacitatis, ut ne Ecclesiasticis quidem parceret ornamentis. Demum cum Avaris a Grimoaldo Rege contra eum accersitis profugus interiit, una cum Varnefrido ejus filio eum paternum principatum recuperare conatur. Post hunc Landarius Ducatus obtinuit, sed nihil memoriae dignum gessit; cui successit Rodoaldus, qui dum a Patria abesset ab Ansfrido quodam Ducatu spoliatus fuit. Ansfridus tandem Principatum fraude comparatum paulo post amisit a Cuniberto nam Rege Veronae captus et luce orbatus in exilium cedere coactus fuit.

His ita se habentibus Ado Rodoaldi frater tanquam Legatus Ducatum administravit, et post hunc Ferdulphus, qui Sclavos hostes aggressus, temeritatis suae poenas dedit, miserabiliter nam

cum magna Forojuliensium parte cecidit, eique Corvulus Dux subrogatus est qui cum Regis iram in se concitasset oculis orbatus in exilium pulsus fuit. Huic Pemo in Ducatu substituit qui Slavos Lauriaco praelio, ingenti edita strage adeo devicit, ut longo postea tempore Forojuliensium arma formidaverint. Cum enim Pemo Callistum Aquilejensem Patriarcham, Luitprandi Longobardorum Regis opera ad Patriarchatum assumptum in mare dejectum vellet, ab ipso Rege Ducatu spoliatus est cui Rachus filius substitutus fuit.

Circa haec fere tempora Desiderius ultimus Longobardorum Rex dum Adriano Pontifici Maximo bellum intulisset a Carolo Magno Francorum Rege ingenti praelio devictus fuit, et una cum uxore liberisque captus Lugduni praeceptum egit exilium neque Longobardorum Regnum, quod in Italia anno 204 floruit penitus interiit. Eam tam cladem Berengarius Forojuliensium Dux, genere Longobardus, paulo post ultus fuit: Ludovicum namque ex Carolo Magno prognatum devicit, ipseque postea Imperii sceptrum, quod Franci multos gesserunt annos assecutus est.

Carolus Magnus vir et rebus bellicis et pietate insignis, Paulino Aquilejensi Patriarchae, complures Pagos e Jurisdictiones in Forojulio et Patria liberaliter largitus est, quae omnia non solum a Lothario, Berengario II, et aliis Imperii successoribus ad Othonem usque rata habita fuere, verum etiam ab ipso Othone non pauca Aquilejenses Patriarchae obtinuit privilegia. Hic fuit Otho Imperator ejus nominis tertius, qui anno salutis 996 Imperium a Gallis et Longobardis in Germaniam transtulit, Gregorii V Pontificis Maximi ejusdem Nepotis Decreto. Conradus postea Caesar illius nominis secundus Popponi Patriarchae,

universum Ducatum Forojuliensem, ac Istrie Marchionatum cum innumeris prediis tradidit, eumque Episcopus viginti Ecclesiarum prefecit; sicque Forojuliensium Ducatus a Longobardis ad Aquilejenses Patriarchas translatus fuit anno Domini 1024.

Liber Secundus

Quia Superiori Libro dum de universo Forojulii statu ageremus, nonnullorum Patriarcharum, qui Ducibus summam rerum administrantibus sacris tantummodo preerant obiter mentio facta est, atque ad hunc locum tandem devenimus, ubi, quomodo Aquilejensis Ducatus cum Istrie Marchionatu conjunctus ad eosdem Aquilejenses antistites Cesarum liberalitate fuerit translatus, ostendimus; opere pretium fore existimavi, si hic de ipsius Patriarchatus initio de primo Divini Verbi semine jacto in hac Regione, que communi omnium vocabulo ad indicandam mutuam charitatem Patrie appellata est, ac nonnullorum denique Patriarcharum rerum actis, iis citatis que ad propositum materiam pertinere videbantur; reliquis usque ad Poponem Patriarcham sub silentio positis pauca percurrerem: quod quidem eo brevius mihi faciendum intelligo quam hec ipsa jam pridem a Doctissimis viris, quorum monumenta quotidie inter omnium manus versantur uberiore ac feliciore stylo descripta fuisse scio.

Post igitur jacta antiochensis Ecclesie fundamenta, cum Petrus Apostolorum Princeps Rome totius Christiane Reipublice sedem collocasset, primusque ibi summus Pontifex, ac Christi Vicarius Divina afflante Gratia, feliciter Ecclesiam administraret.

Marcus Discipulum suum, qui breve Evangelium ex ipsius Apostoli ore exceptum conscripsit, Aquilejam, tunc inter Urbes Italiæ clarissimam, ut illic Divinum Verbum disseminaret, dimisit. Hic Forumjulii ingressus primus ibi Christum annuncians Ecclesiam constituit, tantaque se præbuit doctrina et vitæ continentia, ut omnes Christiani Sectatores per ejus vestigia gressus suos dirigere referent. Post aliquod vero tempus Marcus Præceptorem suum videre, Romamque se conferre cupiens clamante Populo, Pastoremque postulantem, Hermagoram Aquilejensem Pastorem declaravit, quem secum ad Apostolorum Principem perductum, ac quasi pretiosissimum talentum ad ipsius Pontificis pedes projectum, ab eodem in Patriarchatu confirmandum curavit. Ne vero Aquilejenses diutius Pastore carerent, Hermagoras accepto Baculo Patriarchatus insigni reversus in Patriam Aquilejensem Ecclesiam miro composuit ordine; ac tandem a Nerone Imperatore una cum Fortunato Diacono cervicibus abscissis martyrio coronatus est, ubi non pauci ejus successores, sævientibus Imperatorum persecutionibus per agonem martyrii ad Celestia Regna advolarunt.

Constantino vero Magno ad Christum converso, cœpit Christi nomen una cum Patriarchali dignitate invalescere, quæ quidem in Aquilejensi Ecclesia mirabiliter aucta est usque ad vicesimum Patriarcham XX, qui sedit annos triginta duos, quo tempore Aquileja ab Attila devastata, ac solo equata est, non adeo tamen ut hic Patriarcha ejusque Vicarii usque ad Paulinum in ipsius Urbis ruinis residere destiterint, tum illius reliquias instaurantes, tum etiam Provinciæ Populos, quantum in ejus erat, reformantes. Verum cum Longobardi, sedente eodem Paulino, universam Provinciam superiorem et inferiorem, ut primo libro demonstratum

et invasissent, idem Antistes Patriarchalem Sedem, totamque illius Gazam Gradum transtulit, quem postea Novam Aquilejam appellavit, ibique sederunt Patriarchae usque ad Johannem XXVIII, qui antistes creatus de Agisulphi Longobardorum Regis voluntate deinceps eo ipse et ejus successores usque ad Calistum XXXIV Cormoni sedem collocarunt, Episcopo, quem sibi Longobardi delegerant, in Civitate Austriae, residente.

Calistus igitur ingentis animi vir et clarissimo sanguine natus Patriarchalem sedem in loco obscuro, Episcopum vero in nobiliori constitutum indignatus Amatorem Episcopum ex ipsa Civitate dejecit, quo ipse mox cum sede migravit, illique singuli ejus successores commorati sunt usque ad Poponem Patriarcham, qui Forojulii Principatu, Istriaeque Marchionatu conjunctis, Aquilejam iterum sedem transtulit, ubi gratus ac jucundus omnibus vita decessit. Reliquorum vero antistitum res gestas usque ad Bertoldum hic ommittendas esse duxi, cum nihil ad institutam historiam pertinere videantur. cujus quidem tempestate ejusmodi Carneae status fuit, cujusmodi cum inferius demonstrabimus; etiam a Julii Oppidi eversione, quam superior docuit liber, usque ad ipsum Bertoldum Patriarcham plures et generis nobilitate, et divitiarum copia pollentes hanc Carneae provinciam incolae non destiterunt, cumque Gisulphi filii paternum principatum recuperassent, quibuscumque de se fuerant benemeriti, iisdem Castrorum, quorum adhuc in Carneae extant vestigia aedificandorum potestatem permiserunt, et adjacentium Pagorum jurisdictionem liberaliter largiti sunt: quae quidem jurisdictio penes eos diu permansit. Sic Castrum Tulmetij, Illegij, S. Laurentij, Invelini, Sabeliorj, Noale, Luincj, Siaij, Setiae, -utrij, et quae alias memoravimus, caeteraque plura,

quorum nomina vetustate periere, condita sunt; in quorum numerum reponendum etiam censeo Castrum, ubi nunc Ecclesia Protomartiri Stephano dicata excitata est edito in loco paulo supra Lacum Cavalij: cujusce argumento esse possunt tum lapidem, tum veteres nummi a pueris circa ipsum locum sues pascentibus greges effossi. Ego quidem proxime vidi duos nummos ibidem exaratos, alterum quidem aureum, in quo ex una parte Justiniani Imperatoris effigies ex litteris appositis expressa conjicitur, ex altera vero Victoriæ qualis a veteribus fingi solebat, cum ejus nominis inscriptione cernitur; alterum vero æneum in quo ab uno latere C. Pontij Catonis ab altero vero Calpurniæ L. Pisonis filiæ effigies expressæ conspiciuntur.

Verum enimvero quæ in hac Regione usque ad Bertoldum acciderint cum nihil prorsus præ scriptorum inopia reperiri potuerit, ea describere nobis nomine licuit. Cæterum ipsius Bertoldi tempestate, qui Moraviensis Ducis filius dum Coloniensi Archiepiscopatus præesset, ad Patriarchatum delectus fuit, intestinum contra eum bellum exoritur; Plures nam Forojulij et Carnææ Feudatariorum Castrorum Domini ejus imperium detrectabant, inter quos fuisse connumerant Federicus et Artuicus Caporiacii, Henricus Villaltea, Dietricus Fontebonus, Bernardinus et Lodovicus Soffumbergij, Jacobus Budrius, et Aldericus Pulicinicus. Hi omnes quo facilius Patriarchæ obsistere possent, adjunctis sibi Tarvisinorum viribus anno ccxix supra millesimum ante diem 17 Kalend. Septembris coram Ezzelino Romano a Vicecomite de Vicecomitibus in Civium numerum adscripti fuere, singulique omnia Castella in Forojulij et Carnææ ditioni suæ subjecta Tarvisinis referunt donove dederunt, inter quos Federicus et Artuicus Caporiaci non modo Tarcentum, Porpetum, et Cavoriacum; verum

etiam Castrum S. Laurentij et Castrum Invilini, quę in Carnea ipsi obtinuerant, concedere non sunt veriti.

Insuper una simul Tarvisini in subsidium belli CL librarum millia denariorum Veronensium polliciti sunt, quorum Aldericus Pollenicus XVI, Soffumbergius III, Villaltens XXXII, Castellerius III, Butius V, Savornianus et Strasoldus VIII, Fontebonus VI, Federicus et Arturicus Caporiaci XXXII, librarum millia, alii reliqua præberent.

Cum vero Tarvisini additis iis, quas commemoravimus, Forojuliensium copiis plura non modo Feltrensi, ac Bellunensi, sed etiam Aquilejensi Ecclesię damna intulissent, gravioraque in dies inferrent; tandem anno salutis 1219 quarto Kalendas Novembris Honorius III Pontifex Maximus Patriarchę, illiusque Legati precibus, ac lacrymis permotus, Tarvisinis, eorumque sociis sacris interdixit et præterea a Principe Veneto, Patavinis, Vicentinis ac Veronensibus contendit. Idem tam Pontifex, restitutis prius in gratiam, inque sedes Patrias reversis, quascumque inter ipsos et Patriarcham Aquilejensem dissensiones sedandas curavit, Antonio Gradense, et Leonardo S. Pauli Parrocho arbitris datis; qua quidem in re præcipue Hugonis Ostiensis Episcopi, Pontificisque Legati opere eminuit, reddita Provincię pace.

Circa hęc fere tempora Portogruense oppidum ędificari ceptum est, et Ghegelinus Ghezeli Comes Germanus Monasterium S. Galli nomini dicatum, quod Mosacense dicitur, ęre suo construxit, amplissimaque fructuum accessione dicavit.

Demum Bertoldo vita functo, Gregorius Montelongus magni animi vir, ob egregiam ab eo pro Catholica Ecclesia navatam operam ab Innocentio IV in Patriarcham assumptus est. Ferrariam nam, quę dum ipse Pontificis nomine Bononię præesset, ad Federicum Cęsarem defecerat, vi cępit, Parmaque ab

ab eodem Federico obsessam liberavit

Is deinde Carneam Provinciam prout cetera Patriarchatus loca undequaque visitasset, et in Castro Tulmetii ut ipsius Regionis statum componeret, aliquamdiu commoratus fuisset loci situ, licet montibus undique septo delectatus, forum ibi constituere decrevit, ubi nunc est Oppidum, et ut in dies majori hominum frequentia adaugeretur (rara nam tunc erant ædificia) publico sancivit edicto, quod quicumque, vel alienæ jurisdictionis, domos ædificare posset in ipso Tulmetii Oppido, tum etiam prata, pascua, terrasque incultas ad culturam redigere, ac cujuscumque generis ædificia supra rivos et flumina per ipsum Agrum labentia constituere cuique liceret. Insuper ut Populi externi, Carnique Oppidum ipsum tum spe lucri alliciti, tum etiam necessitate coacti frequentarent vetuit ne quo in totius Carneæ loco quisque sive forensis, sive Carnicus aliquid mercimonii genus exerceret prœter quam in Foro Tulmetii, gravibus iis qui secus fuissent, propositis pœnis. Quo factum est ut in dies locus ipse non incolentium modo numero, verum etiam mercium frequentia adaugeretur

Idem quoque Patriarcha Ruipertum Subclevium qui prius Subclevii Castrum jure recti et legalis feudi acceperat, confirmavit in in omnibus feudis, quæ tunc armaniæ dicebantur olim ad Castrum Setiæ pertinentibus. Anno postea XVIII Pontificatus Gregorius in Civitate Austriæ decessit, ibique sepultus juxta Paulini tumulum, cui in successorem electum Philippum Carnuti Ducem cum nollet Gregorius Decimus Pontifex Maximus in Patriarcham confirmare, sedes quadriennio vacavit. Demum idem Pontifex Raimundum Turrianum Mediolanensem, Co=

mensem Episcopum in Patriarchatum delegit, qui quidem illustri genere natus (ejus nam gentiles de Mediolanensi Principatu cum Vicecomitibus decertabant) iis omnibus fulgebat virtutibus, quæ domi forisque in vero Principe digne desiderari solent. Hic ab universis Forojulii populis ingenti supra quam dici potest lætitia exceptus mirabili equitate creditum sibi Principatum administravit, tantumque abfuit ut aliena unquam appeteret vel nova aliqua populi onera imponeret, licet diversis bella genere vexatus esset, ut vel ea quæ sibi jure optimo communi omnium consensu debebantur magnificentissime remiserit. Cui rei testimonio sunt inter cetera magni momenti, vectigalia Utinensibus condonata, Oppidum Tolmetii septum et inchoatæ portorumque, omnium rerum in ipso Oppido vendendarum Tolmetinis liberaliter remissum. Quare non immerito in apice portæ et inferioris et superioris predicti Oppidi in hodiernum usque diem turris et sceptra antiquissimum familiæ stemma conspiciuntur, quæ Tolmetini beneficii memores et observantiæ suæ erga Turrianorum familiam in monumentum posuere

Privilegia quoque et immunitates a Gregorio ejus predecessore concessas per publicas literas ratas haberi mandavit, cumque de statutis super rebus in Carnea vendendis disceptaretur ipse Raimundus anterioris sanctionem ita interpretatus est ut filiis Carnis populis ubique res ad victum necessarias cujuscumque generis inter se vendere liceret, dummodo nemo res ab altero emptam vendere auderet, cum rem emere, emptasque vendere minime sit rem ipsam ad usum suum comparare vetuitque gravi indicta pena negocii mercature, gratia quidquid venderet preterquam Tolmetii.

Cum vero antiqua feuda S. Laurentij et Juvelini alias per Dietalmum Caporiacum et Federicum ejus filium postea ad Patriarchalem sedem devoluta essent, Artuicus de Castello praestito prius more majorum fidelitatis juramento, eadem ab ipso impetravit anno a Christo nato 1280. Hoc itidem anno Richardus Subdecius sponte et libere partem suam Castri Subdecij Propinquo tradita fuit.

Circa haec fere tempora Hermanus quoque et Franciscus Megij Carneae plura eorum insignia feuda Leopardo et Ruguerio fratribus Civitatensibus largiti sunt, quae, postea ab ipsis sive heredibus Civitatensi Capitulo jure legati relicta fuere, quorum etiam nunc ab eodem Capitulo fructus in Carnea exiguntur.

Raimundo postea vita functo Petrus Gerius Capuensis Archiepiscopus Patriarchatu praefecit annum unum, dies decem; cui Othobonus Patavinus Episcopus successit, nonus et sexagesimus Patriarcha.

Is grave bellum gessit cum Carintiis Ducibus et Ricardo Caminensi, cui plures tam Forojulienses, tam Carni Castellani adhaerebant. Demum cum in illius subsidium Henricus Goritiae Comes cum auxiliariis copijs venisset, eumque Patriarcha totius exercitus Imperatorem declarasset; collecta magna militum manu, ignisque collatis victoria potitus est. Nec mora Goritiae Comes Patriarchae jussu iisdem cum copiis quibus hostes devicerat Buttrium obsedit 18 just et dimist, coepetiumque Henrico Prampergio Equite capite mulctato expugnavit. Castra inde movens Caporiacum obsedit et tandem, victa Ludovici Caporiaci pertinacia incendit, ipsumque Ludovicum Ludovicum duxit captivum; quem postea Lucia conjux

pluribus in Villalta et Liconico predijs Comiti pro ejus redemptione traditis, captivitate liberavit. Ejusdem quoque Patriarchę tempore Illeginum Castrum igne, vel casu, vel consulto, ut multi opinantur, funditus combustum est. paucisque postmodum annis Ludovicus Illegius, cum plura bona suo capitulo S. Petri in Carnea concessisset, ipse una cum Federico Hermani Illegij filio, ac Everardo Henrici Fuini pariter filio Civitatem Austrię migrarunt, ubi inter Nobiles Cives adscripti fuere. Ottobono successit Casonus Turrianus, qui immatura morte pręventus Patriarchali sede frui non potuit, devoluta dignitate in Paganum, ex eadem familia ortum.

Anno a partu Virginis 1323 Tolmetini tunc primum civilibus discordijs conflictari cępti sunt: Ancilottus nam et Joannes Bertoldi, nec non Fridericus Candidus, cum sibi pre ceteris Civibus divitiarum copię affluere viderentur libertate abusi tyrannidem agere cęperunt nactique plures quos egestas ad quodvis facinus impellerat optimum quemquam qui eorum deperditos mores aversabantur, gravibus afficiebant injurijs, et eousque eorum excreverat impudentia, ut vix ab honestioris vitę mulieribus continerent indignas manus. Quamobrem excitato repente universi populi tumultu et in eos Tolmetinis irruentibus certatim pluribus confodiuntur vulneribus et cadavera diem, noctemque insepulta jacuerunt propinquis illorum iram populi metuentibus, nec humare audentibus. Sic parem meritis finem habuerunt ij qui divinis, humanisque legibus posthabitis Patrię quietem turbare ausi fuerant:

Anno postea tricentesimo quadragesimo supra millesimum, Hermanus et cęteri Castri Consortes Bertrando Patriar-

-tae, in mortui Pagani locum suffecto partim feudorum (seu Armaniae Ceniventi, et Politiae Paganis vendiderunt; Tempore eo qui proxime secutus est anno a Francisco et Odorico Gualterijs Candidi filijs Gverardoque eorum Nepote civibus Tulmetinis reliquam feudorum eorundem portionem idem Bernardus mercatus est. Hermanus quoque eo Henricus Luinij partem Castri Zucchi, quam olim Franciscus Zucchius obtinuerat, Petro Zucchio Andriotti filio vendidere.

Verum hisce temporibus Comites Pratae, et Brugnarae, Decanus Patriarcarum Comes Vallis Bertaldus et Henricus Spilimbergij Consortes Colloreti, Cusani, Tricani, et Montij, Hermanus Eques et Henricus Luinij Carnae, Hermacorus Burianus, Joannes Franciscus Burianus, Joannes Franciscus Porpetanus, Civitatenses, Portogruenses, pluresque alij adjunctis sibi Comitis Goritiae copijs auxiliarijs a Patriarcha defecerunt, cum nimium adversae partis hominibus Bertrandus indulgere videretur, graveque cum inter ipsos bellum exortum fuerat, multaque damna hinc inde illata, quando Apostolici Legati opera induciae ad tempus inter Patriarcham et Goritiae Comitem, caeterosque ejus factionis pactae sunt. Hinc Patriarcha plura magnifica opera Utini et alibi in Patria Forijulij aedificanda curavit, ac inter caetera Clusiam, qua in Carinthiam iter est, Mosardamque arcem decem millibus passuum supra Tulmetium, qua in Vallem Dutiam tenditur, a fundamentis extruxit. Reliqua ab eo gesta ejusdem Epistolae a Candido Lib. 7. regesta demonstrat. Is demum Utinum revertitur paulo infra Spilimbergum nihil hujusmodi timens, a nonnullis per insidias circumventus occiditur, cujus corpus Utinam allatum honorifice in marmorea quadam arca, quem

ipse dum viveret SS. Hermacoræ et Fortunati ossibus servan=
dis destinaverat, Utinenses condidere, eique ad quoddam tempus
Divinos præstiterunt honores. Nuper vero Cæsar de Nores Pa=
rentinus Episcopus Apostolici Visitatoris munere fungens in
Patria, Bertrandi corpus in templo maximo, ubi servabatur,
sepulturæ tradi jussit, ejusque venerationem penitus abrogavit.
Hæc tum Patriarchæ hujus cædes inulta remansit. Nicolaus vero
Boemorum Regis filius Caroli Quarti frater, ut ad Patriarcha=
tum delectus fuit nihil sibi dignius arbitratus quam ut
Prædecessoris cædem ulcisceret, Magno coacto exercitu Porpetum
Castrum expugnavit et evertit, Caporiaci partem solo æquavit,
Joannes Franciscum Porpetanum, Henricum Spilibergium, ac
Rizzardum Varmensem capitis supplicio affecit. Cumque omnes
nefandæ conjurationis reliquias persequi decrevisset, in Carnea e=
xercitum duxit, ibique Hermanum Luinium Equitem illustrem
magni animi, magnæque apud Carnos authoritatis virum, qui
Luinium Castrum, ubi nunc Parochialis Gorti Ecclesia extat
antiquo jure obtinebat seque eo et loci natura, et ijs quas se=
cum habebat copijs fretus receperat, animo parato ad se tuen=
dum, quoties Patriarcha sibi bellum inferre vellet, oppugnare
instituit. Interim jubet omnes qui arma ferre valerent per
primum convenire, et in primis Castellanos omnes, inter quos
Ruilpertum Soclevium, qui cum longissimam interposuisset
moram, tandem ubi nullum tergiversationis locum esse videt,
ægre ejus obtemperavit imperio.
Hic sibi ob multa commissa flagitia, et præcipue ob stuprum dua=
rum Nobilium Virginum, quas invitis parentibus in Castrum in=
jurium abduxerat, non modicum timens, et Hermano arctissi=
mo necessitudinis vinculo devinctus, clandestinis cum cæteris

Castellanis indictis consiliis, de communi libertate multa questus, non modo Patriarche auxilium denegandum, sed Hermano obsesso subsidium ferendum esse senserat. Effecit itaque ut et ipse et Castellani pene omnes litteras ad Hermanum clam mittere decreverint, quibus ipse hortati sunt, ne deficeret animo, sed pristinam virtutem retineret; propemodum enim omnium copias illi in subsidium venturas. Traditas vero litteras ad Hermanum nocturno tempore perferendas ille ipse a Patriarchalis exercitus excubiis intercepte, et ad Antistitem delate sunt. Quibus perlectis Patriarcha cognita Castellanorum perfidia, ac nemini communicato consilio, jussoque eum qui litteras attulerat, in vinculis servari exitum rei sibi expectandum esse statuit. Postero die Quitpertus cum nichil de litterarum interceptione audisset, veritus ne a multitudine proderetur, dissimulato consilio in Castrum Patriarche cum copiis suis profectus est, ubi se de diuturna mora purgare coactus nullum gravius responsum accepit. Hilaris ergo Sobelerius quod bene sibi ex animi sententia evenisse putabat statutum tempus, quo ceteri omnes, qui auxilio polliciti fuerant, convenirent, avidissime expectabat. Interim Patriarcha diu, noctuque sollicitus ac vigilans in locis editioribus presidia posuit, hostesque aquatione prohibebat.

Erat Lucinicum Castrum, ubi nunc visitur Ecclesia, in summo sed leviter declivi colle situm, cujus radices Decano fluvio abluebantur. Superius erat planities que, duorum fere millium passuum in longitudinem in latitudinem vero quingentorum spatio patebat; reliqua aquibus et montibus arctabantur. Hac in media planitie Patriarche castra posuerat, eo ne repentinis imbribus flumen pertransire prohiberetur, et exinde

menta, commeatusque commode asportare: pontem conficiendum curavit, qui pons hodierno quoque die incolis ad eadem fere usum convenientibus inservit. Neque vero oblivionem intermittebat, imo eo cautius se gerebat, quo propior erat dies, quo ex Castellanorum litteris didicerat Hermano subsidium esse venturum. Subdecimumque habebat in Castris, cui consilium suum ignotum esse cupiebat.

Interim quoque die Hermanus ipse una cum Henrico filio levibus praeliis cum Patriarchali exercitu decertabat, et mox se intra Castrum recipiebat, id agens consulto, ut Patriarchae opera quam maxime posset deturbaret copiasque averteret, quo milites sui commodius aquam cujus premebantur inopia, ex praeterfluente fluvio haurire possent. Cum vero ex captivis cognovisset Patriarcha, hostes diutius aquae inopiam ferre non posse (occupaverat nam proxima fontibus loca) eoque redactos, ut si sitim extinguere vellent, eis necessario fluvius esset adeundus, dispositis praeliis in eam incumbebat curam, ut omnis collis descensus diligentius custodiretur, ne qua nocte perduelles ad aquationem erumperent.

Hermanus jam fere agens extrema, pluribus et jumentis et hominibus consumptis, intelligens sibi vel de deditione vel eruptione consilium esse capiendum, sustinendum tamen aliquantisper, et experiendum esse decrevit, opinatus aliqua ex parte tot mali remedium adfuturum. Itaque media circiter nocte delecto, nonnullos expeditos milites ex Castro adaquatum mittere statuit ea ex parte qua flumen colli subesse ostendimus, juncto eis valido veteranorum praesidio, cui Henricum filium praefecit. Quod cum ii qui in Castris erant Comilitones certiores fecissent, a tergo hostes adorti ad unum omnes interciperent

pit inter alios Henricum, Hermani filium, ad Patriarcham
adduxerunt, quo diligenter asservari jusso, sequenti die obsi-
dioni finem imponere cupiens Castrum totis viribus op-
pugnari præcepit. Hermannus cum per multas horas eorum
quos agnatum miserat frustra reditum expectasset, pessimum
suspicatus adventum, nec tam animo fractus, audacter resi-
stebat. Sed Patriarcha Hermanno nullatenus cedenti Henricum
ejus filium in vinculis positum ostendit, minitatus si in
pertinacia duraverit de eo ultimum sumptum esse supplicium.
Quem cum vidisset Hermannus paterna commotus miseratione
statim abjectis armis, non tam sibi quam filio vitam depre-
catus se in Patriarchæ potestatem dedit, qui adeo conjuratorum
a quibus sibi periculum imminere videbat odio exarsit, ut qua-
tenus questione adhibita Hermannum filiumque cædis partici-
pes fuisse compensset, meritas de eis pœnas sumere, nulli
quam reo culpam condonare sibi in animo proposuit: ambos
igitur in catenas conjecit, simulque Ruitpertum Subclerium,
quem a Patriarcha arcessitum, invitum tum in ipsius castra
et dissimulato animo advenisse, cujusque eas quæ ad Herma-
num litteræ mittebantur interceptas fuisse supernus dominus,
subito comprehendi et vinctum custodiri jussit, ut conjuratio-
ne patefacta singulos ulcisceretur, et ne hostem post se relin-
queret, neve cui facinoroso imposterum se in illud Castrum
recipiendi facultas daretur, funditus divelli jussit, statimque ad
Castrum Subclerii conversus cum omnibus copiis omnia ibi
imparata offendit, Ruitperto nihil de Patriarcha cogitante,
sicque ipsius uxorem cum filio impubere cepit, Castroque
sine ulla contentione potitus est. Cognita postea causa,
cum Ruitpertum et conjurationis participem, et plurimo

flagitiorum authorem comperisset, cumque una cum Hormanno et Henrico Hermani filio capite multasset, Castrum evertit. Minoris tunc Rutperti filius erat aetatis, ideoque culpae expertes a Patriarcha creditus, misericorditer igitur agens sublatam modo jurisdictionem Paterna bona ac feuda ei restituit, atque inde Invelinum in edito Colle situm profectus quia omnes Castellanos conjurationis conscios fuerat omniaque Castra in Carnea propter nimiam insolentiam licentiam, libidinesque ab omnibus odio haberi constabat ea penitus delevit publico statuto edito, ne quis ea ullo unquam tempore instauraret. Clades ista non tam peculiariter Carneam perculit, quam universum Forumjulium, siquidem ne Castris quidem Varcenti inferioris, Melsi, Soffumbergii, ipsique omnibus quae superius memoravimus pepercit. Cunctis igitur solo aequatis, cunctis conjuratis merita luere poenas absentibusque perpetuo multatis exilio, Volens tandem pacato ac tranquillo animo Carneae saluti consulere cupiens, quam ob Castrorum desolationem, quae pluribus ejus Regionis Pagis praeerant, novis institutis indigere intelligebat, Tulmetium se contulit, ubi aliquot commoratus dies, erga se et Aquilejensem Ecclesiam Civium Tulmetinorum fidem expertus (quod et ipse publicis testatum litteris reliquit) ut singularis obsequii praemia sentirent et Oppidum ipsum pro communi utilitate augeretur, contraque hostiles impetus muniretur, Communitati Tulmetii omnia vectigalia ac census aquilejensi Ecclesiae tam in Oppido, quam in Agro debitos in annos viginti condonavit, ea tum lege, ut ad Oppidum muniendum, moeniaque perficienda insumerent. Nec satis animo volvens dispersas universae Provinciae Jurisdictiones

omnes in unum colligere statuit, sicque totius Regionis Regimen prędictę Communitati concessit videretur, et ne ullę controversię, quę octo denariorum summam excederent, nec civiles capitalesque quęstiones a quopiam alio in Carnea, quam ab ejus Pręfecto, quem Gastaldionem nuncupavit et Judicibus, quorum electionem Communitati permisit ut in ejus Diplomate satius habetur) terminarentur

Eximia hac libertatitate devicti Tolmetinorum animi, sibique honorificum quidem, sed grave impositum onus ab Amplissimo Antistite sentientes ut subiret tot hominum multi pręessent sibi ipsis in primis leges dicere, moxque cuncta ad rectum vivendi ordinem pertinentia in unum conflare, ac sancire statuerunt. Sex igitur Consules initio creati, ipsique commissa potestas revisendi ac quatenus opus foret, corrigendi statuta ad rectum imperandi modum facientia, quę quidem in eam quę nunc visitur formam deducta, et a Consilio, et ab ipso etiam Antistite comprobata fuere. Viginti exinde Consiliarij electi ex civium numero quibus Oppidi totiusque Ditionis administratio demandata; et si unus vita migraret, statutum fuit ut sequenti Comitiorum die, qui est pridie Kalendas Januarij, alter per majorem Consiliariorum partem datis suffragijs in mortui locum substitueretur. Verum ne in pauco iis numero aliquando consanguinitatis vinculum rectum regendi ordinem interverteretque sancitum fuit, ne duo ex eadem familia fratres utroque vivo inter Decuriones consiberent

His ita statutis mœnia perficere, fossisque Oppidum circumvallare coeperunt, omnibus Carneę populis jubente Patriarcha opem ferentibus; alteramque turrim in monte Oppido superposito erigere decreverunt, cunctis quę ad opus perficiendum

necessaria forent comparatis. Eodem fere tempore Guido-nis S. Galli abbatis litterae Tulmetinis allatae fuere, quibus Ventionensium pedites populabundos ejus jurisdictionem ingressos arcemque ipsum et abbatiam obsessam significabat. Austriacis tunc ducibus parebant Ventionenses, ex quo Tulmetini amici abbatis periculum non negligendum arbitrati et potissimum, quod interna Patriarchae familiaritate addictum non ignorarent, collecto non spernendo militum numero, nulla mora in abbatis subsidium moverunt; quorum cognito adventu, Ventionenses receptis nocturno tempore castris re infecta Ventionum revertuntur.

Nicolas vero anno salutis 1358 in Civitate Bellunensi a Patriarchatu ad meliorem vitam translato, Ludovicus Turrianus substituitur, cujus Patriarchatus initio cum equites octingenti qui Rodulphum Austriae Ducem praeibant, Forum-Julium repentino impetu invasissent, prope Passarium castrametati sunt, quos etiam Dux ipse cum Goritiae Comite, ac tribus equitum millibus subsecutus est, vindicaturus damna per Glemonenses mercatoribus illata, ex quo in Patriarchatu bellum initium habuit. Verum dum a Duce et Goritiae Comite utinum obsidetur, sic petenti Lodovico pace concessa est, addita lege ut cum duobus idoneis ex Patria viris ad Carolum Caesarem proficisceretur, quem controversiarum omnium arbitrum elegerant; quo missi, orta suspicione Rodulphum de Legatorum nece consilium cepisse, re infecta domum reversi sunt. Interim Ludovicus cum annos septem Patriae praefuisset, mortem oppetiit, suffecto in ejus loco Marquardo. Hic Carolo Caesari intima familiaritate conjunctus multis magnisque beneficiis ab eodem auctus est dumque tanta

amicitia fretus de bello ultro Venetis inferendo consilium cepit, anno 1381; e vita migravit.

Ecclesiae exinde praeficitur Philippus Alansonius Cardinalis. Illi usque regendae cura sub commendationis nomine commissa est cujus rei indignitatem aegre ferentes plures Castellani Nobilesque viri et Utinenses illum ad Patriarchatus administrationem hauquaquam admittere statuerunt. Cum vero Alansonius adjunctis sibi Francisci Carrarii Principis inhumanissimi et omni fame perditissimi hominis auxiliaribus copiis; quod libentibus Forojuliensibus obtinere non poterat, id vi atque armis assequi inniteret communi omnium consensu bellum gerendum censuerunt. Missi igitur quamprimum sunt ad Tulmetinos Oratores, videlicet a Simone Milite de Colloreto, Daimo de Castello aliisque sociis Henricus Colorettanas, ab Utinensibus vero Jacobus de Montegnano eorum Civis qui Tulmetinis Decurionibus rei indignitate, imminentique universae Patriae periculo ob tanti exercitus potentiam exposito, suaderent ut saltem duos idoneos viros Utinum mitterent, ubi simul quid pro communi salute agendum esset decerneretur. Tulmetini nullam interponendam moram arbitrati Leonardum a Prioribus et Nicolaum Leopoldum cives ad hoc electos Utinum miserunt, data facultate quodcumque sibi videretur optimum cum sociis eorum nomine sanciendi. Illuc cum Oppidani, Castellanique convenissent, ut communi consilio de Forojuliensium libertate consulerent, in eam devenere sententiam, neque ullum periculum publicae salutis causa respueretur, et a Veneto Senatu, quem ad Patriae quietem conservandam propensum persaepe experti fuerant, opem implorarent

Non indigni vero mihi esse videntur ii, quorum opera et con:

sitium ingens tunc Forojuliensis Provincia dederis et detri=mentum excitavit, ut eorum nomina ad futuram memoriam recensam, et sunt Civitas Utini, Tergesti, Tulmetii, Glemonae, Ven=tioni, Marani Sancti Viti, Montisfalconis, Portusgruarii et Faga=neae. Ex Feudatariis vero Strasoldi, Colloreti, Ragonei, Salvaroli, Valvasonei, Partistani, Stroiavacche, Caporiaci, Tertii, Pramper=gii, Pontaboni et Porpetani. Ab his itaque deliguntur Federi=cus Savorgnanus Eques, Ioannes Colloretus, Doimus Castellus, Bla=sius Lisonius, Vitalinus Andriota, et Nicolaus Maniacus, quibus hujusce belli cura demandata est. Hi collecto foederatorum exercitu, junctisque auxiliariis copiis, quas Antonius Venerius Ve=netorum Princeps in Patriae periculo concesserat ducibus Petro Mauroceno Francisco Zeno et Iacobo Gradonico castrametati sunt, et Carrario, qui in Patriam cum valido exercitu ir=ruptionem fecerat multaque Oppida et Castra vel expugnaverat, vel per deditionem acceperat, nec pauca immania impiaque facinora addiderat, ut ne a Sacris quidem aedibus sacrilegas conti=neret manus, furenti omniaque diruenti occurrunt colla=tisque signis, cum aliquamdiu anceps pugna videretur, tan=dem caesis omnibus fere hostium copiis memorabili victoria po=titi sunt, ex qua statim pax orta est, et cum Alansonius extre=mum vitae diem clausisset Romae in aede S. Mariae Transtiberinae conditus est.

Ioannes Moraviae Dux filius Alansonio suffectus est, quem ubi Tul=metini Patriarcham creatum esse cognoverant, Oratores ad eum Ioannem Bertoldum et Christoforum Marcum in Moraviam us=que gratulatum de nova dignitate mittunt, qui quidem a Patriarcha per humaniter, ac magnifice excepti ingentes Tulmetini Oppidi augendi ac nobilitandi pollicitationes retule=

runt, quas ut Principum decet, simul ac Forojulii ingressus Patriarchatum adiit ad unguem implevit. Oppidum namque et Communitatem Tulmetii non vulgari Dignitate decorare volens, eam caput, matricem, ac Dominatricem Carneę universę dixit; et ultra cętera, ipsius Communitatis insignia Crucem albam inter campum rubeo circumdata limbo concessit.

Conciliatricem pręterea totius populi conventus, quotiescumque dissensio evenuret delegit. Suffragia inter cęteras Communitates attribuit, merum et mistum imperium (ut publico visitur Diplomate) cum omnimoda potestate gladii tradidit statuitque ut Pręfectus idem Gastaldio et Consilium Tulmetii vel atrocis casibus in quoscumque nullo excepto, summam vitę necisque haberet potestatem, ac ut innocentes absolvere, sontesque justis plectere pęnis libere ac sine provocatione posset. Addidit insuper ne aliquis auderet quemcumque Communitati subditum in jus vocare coram alio Magistratu quam Judicibus Tulmetii: salva tamen ad Patriarchalem sedem, ejusque Vicarium Generalem appellatione. Eidem quoque Communitati largitus est facultatem intra Oppidum recipiendi, et ab omni prorsus injuria tuendi cujusvis criminis reos, exceptis tamen cędibus in Urbe Aquileja commissis, ac delictis hęreseos, perduellionis, incendii, sacrilegii, patricidii, veneficii et aperti latrocinii. Nundinas quoque jam intermissas, et quę septimo quoque die celebrabantur ad veterem consuetudinem revocavit dempta vectigalium pensione, dummodo res emptę ex Carnea non abducerent; multaque alia pręclara gesta in Communitatem exercuit; quę brevitatis causa omittuntur.

Sunt qui Joannem ytum nepos Federici Savorgnani in sacello ejus domus proximo interempti conscium fuisse asseverant,

sed quantum aberrent, litteræ ab Utinensibus Tutisdarijs con-
scriptæ ostendunt, quas hic inserere non abs re visum fuit.

1389 "Honorabiles, ac circumspecti Viri, et amici, et tanquam Fratres
"carissimi. Enormem excessum pridie in personam strenui Mili-
"tis olim Domini Federici Savorniani perpetratum, qui prodi-
"torio modo, et contra omnem humanitatem in Templo, idem
"in Cappella prope domum suæ habitationis completa missa in-
"teremptus fuit, vobis tanquam sincerissimis Fratribus, quos
"pro costanti teneremus de nostra amaritudine condolere, cordibus
"angustiatis significamus, vestram amicitiam affectuose, et instan-
"ter precantes quatenus hujusmodi casus enormissimus vobis
"debeat displicere, statumque ejus bene ad honorem Reverendissi-
"mi Domini nostri Patriarchæ, Sanctæque Aquilejensis Ecclesiæ,
"et totius Patriæ habere studiis accomodatum, prout de ves-
"tra sinceritate plane confidimus, rogantesque vos instantis-
"sime ut predictum Dominum Patriarcham supplicare velitis
"quatenus pro honore suo de homicidis et proditoribus, qui
"predictum Dominum Federicum occiderunt, dignetur justi-
"tiam reddere debitum, et condignam pro bono statu commu-
"ni totius Patriæ, ad hoc ut imposterum nunquam hujus-
"modi casus perpetrentur.
"   Datum Utini die 17 February Indictione 12.
"   Antonius Capitaneus, Consilium et Commune
"   Utini cum fraterna dilectione"

Ultimum præterea supplicium, quo fuit Elisabeth ejusdem Fede-
rici uxoris, cum duobus civibus Utinensibus illius sceleris
conscijs affecta, ipsum Patriarcham penitus nullius culpæ
affinem fuisse ostendit. Is tum, cum nimis adversæ factio-
ni indulgere videretur, Tristani Savorniani, Federici filij ope-

ra. Dum solus in Castro Utini deambularet, circumventus occiditur, cujus quidem interitus non aliunde dixit quam ex dissentionibus quae proxus semper fuere eruntque. Populis majori exitio quam bella externa quam fames, quam pestis, aut si qua his majora aut graviora mala solent accidere.

Joanni successit Antonius Cajetanus ex illustri familia ortus. Hic inspectis superiorum Patriarcharum concessis Tulmetinae Communitati privilegijs, non solum in omnibus comprobavit verum etiam quia municipali lege de finibus et mulierum juribus optio actori dabatur sive primarum judicem, sive Generalem Forojulij Vicaria adeundi decrevit, ac singulari quodam privilegio sanxit, ne cui Tulmetino, Carnove unquam, ne in his, quos supradiximus casibus liceret coram alio Judice agere, quam coram Judicibus Tulmetij, tantoque ejus in Tulmetinos benevolentia fuit, ut cum Neapolim nonnulla negotia tractandi et balneorum remedijs pro pedum doloribus utendi gratia petijsset, eos de statu et valetudine sua humanissime certiores facere, ac illis Patriae tutelam commendare minime dubitaverit. Id vero plenius ex ijs, quas Tulmetinis misit litteris cognoscitur.

" Nobiles et Fideles Dilecti Nostri.

" Ut Fidelibus nostris gressus nostri patefiant, significamus vobis,
" quod pervenimus in partes Regni feliciter, ubi ab omnibus
" Magnificis Dominis consanguineis, et alijs amicis nostris cor=
" dialiter, amiceque recepti fuimus, et consideratis maris et terrae
" turbinibus Jesu Christi gratia satis sospites et fortes sumus
" Fuimus quoque cum Serenissimo Domino Nostro Rege qui post=
" quam nos grate humaniterque suscepit, ita ut veris calu=
" mnijs exclusis regnare jussit nos ad Illustrissimam Domi-
" nam Nostram Dominam Reginam, et Joannam Salernum

"accedere ubi sunt pro expediendis negotiis Dominę Joannę prę=
"dictę et sic facimus procurantes negotium illud cito et felici=
"ter expedire, sed prius balneis potituri sumus. Quibus peractis,
"statim Deo favente cum integra sanitate in Patriam nostram
"Forojulii revertimur. Vos valete feliciter et estote solliciti ac
"prompti ad Patrię defensionem siquid acciderit, prout de ves=
"tra fidelitate et constantia confidimus.

" Datum in Terra nostra Pedemontis 2 Maij 1401."

Eodem anno Florentini qui a Galeatio Mediolanensium Duce gravi bello premebantur Rubertum Bavarię Ducem, nuper Ladislao Boemo abrogato, ad Imperium adsectum sibi in subsidium accersivere, eique cum primum ad Benacum Lacum pervenisset magnam se pecunię vim numeraturos pacti sunt, quam conditionem Ruberty non invitus accepit. Dum igitur Rex esset in itinere, ac per superiores Alpes copiarum partem ducere constituisset, audissetque Vulmetinos moventes, ne ad eorum damna exercitatus ille descenderet, montem Crucis, cęterasque Carnicę Alpes, qua in eorum Provinciam iter patet, valido militum pręsidio munisse, pręmisso tabellario per litteras a Vulmetinis ut iter per Carnicam Provinciam exercitu suo sine ullo maleficio transituro pateret enixe precat quas ad fidem faciendam hic quoque inserere volumus.

" Rubertus Dei gratia Romanorum Rex semper Au=
"gustus. - Honorandi Dilecti. - Quia nonnulli de gentibus nos=
"tris adhuc retroexistentibus sequi nos cupientes iter suum
" per Terram et Dominium vestrum suscipere decreverunt;
" quocirca nos rogamus, et attente desideramus quatenus pre=
" fatas gentes nostras per Terram et Dominium vestrum equi=
" tare permittatis, eisdem etiam victualia et sumptus apud nos

"pro pennam ordinando in quo nobis complacentiam singula-
"rem ostendetis, sufuri et Nos cum prędictis nostris gentibus or-
"dinate prędictas Terras et Dominium vestrum absque aliquo
"notabili damno pertransituros.
" Datum Reichelsdorf in die B. Martini Episcopi anno
" Domini 1401. Regni vero Nostri secundo."

Tulmetini his acceptis litteris stultum esse arbitrati tanti exercitus impetum, iramque in se temere convertire, data, acceptaque similiter fide, Regias copias per suam Provinciam extra Oppidi mœnia admisere quæ quidem ubi comiter ac liberaliter habitę nemine læso cęptum ad Rupertum iter tenuere.

Rubertus tandem ad Benacum Lacum cum Galeatij copijs congressus, fractusque, Tridentum primo, mox in Germaniam se recepit, et Cajetanus parvo interjecto tempore cum annos septem, menses duos Ecclesię pręfuisset, non sine maximo totius Provincię mœrore e vita decessit.

Liber. Tertius

Defuncto Cajetano, dum Ecclesia ęstuaret, eoquod Angelus Corrarius Venetus Gregorius XII, ac Benedictus XIII de Pontificatu disceptabant, Antonius Pancerinus Portugruariensis a Benedicto ad Patriarchatum deligitur, quem paulo post Gregorius dignitate spoliavit; sed assumptum semel Principatum deponere renuens armis illud tueri totis viribus conabatur; Gemonenses nam, pleraque alia Oppida, multique Feudatarij ejus partibus adhęrebant. Hinc grave publicum intestinumque bellum initium habuit; nam Civitatenses, Glemonenses, Tulmetini et Venzo-

nenses eundem Antonium in Antistitem recognoscere noluerunt: cumque sibi bellum cum eo gerendum esse non ignorarent. Oppida ipsa tam contra ipsum Antonium, quam alios quos- cumque pro Patriae conservatione usque ad novi Patriarchae electionem legitime faciendam defendere statuerunt. Ut vero communis Oppida defensio firma haberetur generale in- ter eos foedus solemni juramento valitum inierunt cui pau- lo post Nicolussius Comes Pratensis, Albertinus ejus filius, Val- vasonus, Spilimbergii et Oppidani Sancti Viti devicti sunt. Qua intellecta re Antonius, non maximum equitum ac pedestrium militum numerum sibi comparavit, ex quo metuentes Pratae Comites et Oppidanus Sancti Viti, ne ad eorum damna exerci- tus ille se conferret frumentaque tunc in agris existentia, destrueret (messis nam appropinquabat) a Tulmetinis, caeterisque superioribus Oppidis jure foederis colligatis subsidiarios milites receperunt, ut nedum hostium impetum propulsare, sed etiam eidem damna inferre non dubitarent.

Nec multo interjecto tempore utrisque bene gerendae rei occasio oblata est, cum nam Antonii equites, peditesque Pratensem Comitatum praedabundi invasissent, Pagos Cowe et Azzani vicentos igne immisso destruxerunt. Quod cum Nicolussius, et Albertinus ex fumo cognovissent, qui ultra proprios, foe- deratorum quoque, ut diximus, milites penes se habebant, hostes insecuti, eos praedabundos prope custodiam Cowe in- ventos viriliter aggressi sunt, et post pugnam utrinque atro- citer editam, in qua Albertinus inter confertissimos hostes super sponte Metinae fortiter pugnans aliquantulum in ore et naso vulneratus in aquam dejectus est, qui tam beneficio fluminis tunc ob imbres per transcendendum evasit.

demum Antonij milites in fugam vertunt, et undique a victoribus obtruncantur, ita ut omnes perirent preter duodecim, qui in ipso pugne initio fuga saluti sue consulerunt et sexaginta qui captivi remansere. Capti quoque sunt equites decem, reliqui vero ad vicinas sylvas confugiendo insequentes hostes evaserunt cujus rei feliciter acte testes sunt Nicolusij et Albertini littere Vulnetini conscripte. Eodem fere tempore Oppidani Sancti Viti Nicolussium quemdam Antonij Prefectum eorum agros incursionibus devastantem plurbus suis militibus interfectis, retrorsum reverti coegerunt, bovesque et ejus generis animalia CXI Oppido ipso preservationis gratia egressos abduxerunt. que quidem preda quadraginta aureis vendita militibus distributa est.

Interim Gregorius XII Antonium Concordiensem ad Patriarchatum assumpsit, cujus litteras Vulnetinis conscriptas in quibus hujusmodi ei significat electionem et Patrie Forijulij commendat, registrandas duxi.

„ Antonius Dei gratia Patriarcha Aquilejensis - Nobi-„les et prudentes viri et amici nostri dilecti. Ad gaudium et „exultationem vestris presentium serie significamus dilectioni„bus, quomodo nuper Sanctissimus in Christo Pater et Domi„nus Noster D. Gregorius Divina Providentia Papa XII in „Patriarcham nos elegit Aquilejensem et licet indignos sua „benignitate promovit et creavit. Unde delectiones vestras, que, „merito de hujusmodi promotione nostra letari possunt requiri„mus et hortamur, quatenus in omnibus, que honorem nos„trum, et Ecclesie nostre Aquilejensis, ac Statum pacificum et „tranquillum illius Patrie Nostre Forijulij concernunt, nos prom„ptos reddatis, favorabiles et benignos, prout de predicta ves„tra delectione plane confidimus

"Significamus insuper vobis quod pro bono pacis illius Patriæ nunc Ex-
"celso Dominio Veneto placuit, quod hic sedeamus, quod ipsum Do-
"minium ad tractandum de ipsius Patriæ pace et concordia misit
"nobilem suum Oratorem ad Patriam ipsam, quem ac statum et
"honorem nostrum vobis præcipue commendamus. – Datum Vene-
"tiis sub nostro anulari sigillo quo alias ut Episcopus Concordiensis
"utebamur. Die 16 Martij 1409."

His tamen non obstantibus cæptum in Patria bellum non destitit, ob nam inter Pontifices exortum Concordiensis Episcopi electio prout et Gra-ciensis illegitima quam plurimis videbatur. Quamobrem idem sibi Patriarchatus possessionem consequi difficillimum fore animadvertens, Romam se contulit, ibique sine Patriarchatu defunctus est. Novi itaque antistitis legitimam electionem procurandam censuerunt fœderati Populi. Quapropter singuli quilibet ipsorum Oratores ad Romanum Pontificem transmiserunt, rogatum, ut gratus ipsis antistes crearet. plures nam illustres viri eam dignitatem obtinere nitebantur, inter quos Malatesta et Pandulfus Malatestæ filius Tulmetinus hujusmodi litteras per Oratores suos reddiderunt.

1411. "Nobiles et Egregij Amici nostri charissimi – Post debitas
"condignas et affectuosas salutationes committimus atque nobilitatibus
"vestris nomine nostro referendo nobilibus et Egregijs legum Doctoribus
"nobis delectis et Oratoribus nostris Dno de Raimundis de Pesauro,
"et Almerico de Pin de Sacito, harum ostensoribus. Quorum proin-
"de relationibus tamquam nobis metipsis rogamus nobilitates
"vestras, ut eis placeat et velitis fidem credulam adhibere. – Ordi-
"natæ Pisauri die 10 Maij, et datæ Brixiæ 23 ejusdem mensis
"Indictione tertia."

Summa legationis hæc fuit, ut Tulmetini Pandulfum prædictum

in Patriarcham acceptarent, et in hac sententiam litteras Oratori suo apud Pontificem degenti inscriberent, videbatur nam Pontifex novum Antistitem de Forojuliensium voluntate creaturus. His responsum dedere Tulmetini, se de Antistis creatione una cum ceteris Federatis communi consensu antea decrevisse, et Oratoribus ob eam causam ad Pontificem missis speciale mandatum minutum tradidisse, nec sibi licere aliter nunc decernere, quam quod semel actum fuerat. Quod si in presentiarum res integra ageretur libenti profecto animo illustrem illum virum quantum in eis esset in Antistitem commendaturos.

Interim Glemonenses et Tulmetini collecto non modico militum numero Fontanambonam vi capiunt, et deprimunt, exinde Orsjam Castrum loci natura munitissimum obsiderunt, et habitatores Castri Melsi ob harum gentium propinquitate timentes ad sui destructionem se conferrent hujusmodi litteras Tulmetinis a Matheo Francisco Lorado, et Thoma Prodolonijs conscriptas attulerunt

„ Nobiles et Egregij Viri amici Nostri Charissimi. – Quia
„ nos intelleximus, quod Vicini nostri et habitatores Melsi estis
„ qui se reduxerunt et reducunt ad Castrum predictum viden=
„ tur magnum habere timorem, ne damnum aliquod accipiant
„ a Gentibus vestris, amicitiam vestram rogamus instanter, ut
„ cum semper optaverimus omne vestrum bonum, et omnem
„ indemnitatem vestram, vobis placeat cum ipsis Gentibus ves=
„ tris taliter providere quod non offendant in bonis, pariterque in
„ personis habitatores, vel se quomodolibet reducentes ad dictum
„ Castrum et Villam Melsi, et si demum de intentione procede=
„ rent aliquos Colonos Dominorum de Colloreto offendere, quod
„ non credimus, rogamus ut Coloni illi et Consortes nostri an=
„ tonij de Melso nullum a vestris militibus damnum recipiant.

50

"Providentibus et nos versa vice ne vos et Gentes vestrę per habi=
"tatores illius loci in aliquo offendantur. Deus autem bene novit
"quam libenter videremus bonum et tranquillum statum Patrię
"nostrę. Placeat ergo amicitię vestrę, rogamusque instanter ut
"super his vestram responsionem per litteras habeamus — Datum Po=
"dolom die 3 Septembris Inditione 3. 1410."

Quibus quidem, ita Concilio decernenti, rescriptum fuit, quod Tolme=
tini, suorum militum Pręfectis expresse commiserunt ut Amico=
rum suorum, inter quos ipsos Podolonos connumerabant, bona
omnia illesa, intactaque forent, nec aliquod eis quoque modo
damnum inferrent, iterumque illud eis mandaturos esse, dummo=
do intra Castrum Melsi inimicos Colligatorum, eorumque res, ut
complices non recipiant, nullumque eis auxilium pręstent, vel
subsidium

Paulo post Buję Castrum capitur et diripitur, quod una cum Fon=
tanabona Utinenses post Gentium discessum recipere. Veneti enim
Patrię Forijulij desolatione misertti Jacobum Istanum, et Bartho=
lomeum Nanum Patritios Viros Oratores in Forumjulij misere,
quorum opera in Oppido S. Danielis inter Collegatos utriusque
partis circa finem mensis Septembris 1410 initę fuerunt treguę
ad nonum futurum mensem Martij 1411: pro quarum observa=
tione ijdem Veneti Oratores Tolmetinis Ventionensibus, et Glemo=
nensibus hujusmodi litteras dedere.

"Magnifici et Egregij fratres Honorandi. — Licet jam
"ante in practicis et sermonibus vobiscum et cum tota parte
"vestra habitis diffuse satis affectionem quam ~~[illegible]~~ Sanctissimus
"Dominus Noster Pater Papa, et Illustrissimum Dominium
"Venetum ad bonum et quietem hujus Patrię habent, et
"eorum intentionem vestris benevolentijs expressimus; tum ut

"vos certiores reddamus, data per nos notitia jam dicto Summo
"Pontifici et Ducali Dominio de induciarum conclusione, modo
"inter cetera responsionem accepimus et mandatum quod ante
"nostrum discessum vobis et aliis Communitatibus et Nobilibus Patrie
"utriusque partis dicere et scribere debeamus, quod conclusio-
"nem induciarum et vestram optimam dispositionem gratissi-
"mam habentur, et illam laudant, et commendant, vos in-
"stanter hortantes, quod et conservationem induciarum totis vi-
"ribus intenti sitis, et insuper quod quam cicius fieri possit,
"partes procurent iterum suos Oratores ad ipsum Summum
"Pontificem mittere pro hujus negotii confirmatione. Ulterius
"quam licet observantia induciarum sit utilis vobis et universale
"Patrie, ac ejus quieti; tamen quam bellum et desolatio Patrie,
"dicto summo Pontifici displicet cordialiter, et non minus Du-
"cali Dominio prelibato, et quam turbatio et fractio indu-
"ciarum cedit in non modicum dampnum Civitatis Venetiarum
"perseverates in eo quod sepe dictum fuerat, denuo declarant,
"quod si inducie observabuntur Summo Pontifici et Ducali
"Dominio summopere placebit, et habebunt exinde efficacio-
"rem causam habendi honorem et commoda vestra cordibus
"suis infixa. Ea propter eorum nomine pro universali Pa-
"trie bono vobis instanter suademus atque rogamus ut ve-
"litis efficere, quod inducie predicte observentur, et quod vie
"aperte sint et secure, nec non ut vestros Oratores cito pro
"celeriori rerum conclusione ad Curiam transmittatis, ad que
"omnia vos etiam quantum possumus nomine nostro in-
"ducimus et rogamus. Similes litteras Communitati Civitatensi
"et Nobilibus ultra Tulmentum scripsimus. Hunc Communitati
"Utini hec efficaciter diximus, et aliis suis colligatis similiter

"nota fecimus ut ambæ partes sint admonitæ. Valete. Die 18 Novembris 1410."

Exacto inde marum tempore cum utriusque partis Oratores ad Summum Pontificem missi nondum rem sibi commissam ad exitum perduxissent, eædemque vigerent civium discordiarum causæ, illico bellum prosequutum est Civitas Austriæ, Glemona, Tulmetium et Ventionum omnibus eorum copijs Carolum Pium publico statuto stipendio præfecere. Utinenses vero, dum Burcardus Rebenstainerus Eques ac Præfectus Militum Ernesti et Federici Austriæ Ducum armata manu Forumjulij introisset, se eidem, suaque omnia dedere: parvoque interjecto tempore Federicus Ortemburgius Comes a Sigismundo Imperatore in Patriarchatu Aquilejensi Vicarius constitutus eodem se contulit sed cum Civitatenses Tulmetini Ventionenses et Glemonenses non ante recepere quam solemni juramento pollicitus sit illico secuta legitima antistis creatione, omnia ad Patriarchatum pertinentia ipsi antisti libere et absque contentione renunciare.

Interim Utinenses propijs viribus et Austriæ Ducum præsidio fundi Civitatensium fines assidue infestabant. Quapropter Tulmetini quingentos ad eos vetusto fœdere milites jusserunt proficisci, idemque, pro viribus cætera Oppida fecerunt. Cumque secunda die ejusdem anni Gentes Civitatensium et Collegatorum suorum sub Gregorio Ortemburgij Comite et Carolo Pio Fœderatorum communitatum militum Præfectis Monteano vago vi capto et diruto Civitatem Austriæ versus proficiscerentur magnum Utinensium equitum et peditum numero obviam habuerunt, quibus præerat Franciscus Manzatonus. Confestim hinc inde conclamatum et pugnæ initium factum est. Dum inter ipsos anceps certamen stetisse dicitur, ut neque clamor iteratum

jit neque signa permuta loco retrove recepta, sed in suo gradu abnixe milites sine respirationem pugnabant; jam cum viris jam ferro acies deesse videbatur, cum Franciscus Manzatonus Utinensium Praefectus, dum strenui Ducis, militisque officio fungitur, ingenti vulnere afficitur, et equo labitur, quo repentino casu conterriti milites eum abijsse existimantes moventur gradu, deinde repelluntur; postremo vero in fugam conjiciuntur. Magna eorum pars cesa; capti Utinensium equites decem et octo una cum Manzatono, pedites vero ultra quinquaginta, preda etiam non modica, preter suas recuperatas res, et victoria Civitatenses et collegati potiti sunt.

Vigesima postea ejusdem mensis Venerius Veneti Principis Orator ejusdem litteras Tulmetinis subscripti tenoris attulit

" Michael Steno Dei Gratia Dux Venetiarum &c.-

" Egregij et Prudentes Amici Dilecti. Mittimus ad presentiam vestram in nostrum honorabilem Oratorem Marcum Venerium Civem nostrum cui nonnulla commisimus vobis officio vestre benevolentie referenda, ipsam deprecantes quatenus relationibus ejus tanquam mente nostra venientibus libeat credulitatis fidem plenissimam adhibere. - Datum in nostro Ducali Palatio die 9. Junij 1411. "

Is [a] Tulmetinis liberaliter acceptus cum Reipublice Venete in universam Patriam optime dispositam mentem exposuisset, pluribus rationibus eis suadere conatus est ut arma inter ipsosmet Forojulienses assumpta deponerent, et omnes iterum partis pacis et unionis via aliqua communi omnium consensu perquireretur, Patrie desolationem, ac tot ab omnibus passa incommoda commemorando; Tulmetini eas quas

potuerant majores inclito Principi, Sapientissimoque Senatui Veneto gratias se habere dixerunt, qui totius hujus miserandæ Patriæ cladium misertus munissime in ejus viscera incendium extinguere conatus sit. illius Principis causa ad omnia paratos et dispositos obtulerunt quæ ejus Patriæ quieti proficua fore viderentur, dum fœderatorum suorum eadem sit mens et dispositio a quibus nulla præcedente causa, discedere sibi iniquum et damnosum fore non ignorabant. Venerius optimam illius Consilii mentem laudavit, et ad cæteros eorum fœderatos easdem expositiones pergere dixit, et hortatus, ut in proposito perseverarent, ad reliquas se contulit Civitates.

Verum cum res ob diversas ab utraque parte propositas difficultates in dies protraherentur, demum Venerius tribus superioribus Communitatibus Tulmetii, Ventioni et Glemonæ hujusmodi litteras conscripsit.

„Magnifici et Egregii Domini = Sicut scire debe„tis fluxerunt jam octo dies, quibus veni ad hanc terram Ci„vitatis Austriæ cum certo mandato Illustrissimi Ducalis mei Do„minii Veneti universaliter statum et commodum totius Patriæ „concernente, expositaque intentione præfati Ducalis Dominii „huic Communitati responderunt quod sine vestro consensu „vel deliberatione ad eam, quæ sibi exposueram decernere, vel „conclusione respondere non poterant illico dictam meam ex„positionem vobis significari decreverunt, affirmantes mihi, „quod sine dubio per totam diem Sabbati proxime præte„riti habuisset intentionem et responsionem vestram, et sub „ista spe et verbis usque nunc me tenuerunt, excusantes „se, et inculpantes vos, et vestras Communitates, quia non „pro sed vestro defectu procedit ista dilatio; ulteriusque di=

"centes, quod per eos non deficiet, quin sequatur tranquilli-
"tas Patrię et quod si intervenerit consensus et deliberatione
" vestra in bonum vel bene procedet, et quod vota pręfati Du-
" calis Dominij mei, quem tum ad nihil aliud quam ad con-
" servationem libertatis Patrię et Ecclesię Aquilejensis aspirant
" optatum sortientur effectum ad quam intentionem prędic
" etiam inclinassent, si vestrę Communitates similiter voluis-
" sent. Quamobrem tam de mora prędicta, quam etiam
" de mala intentione vestra, si sic est, quod tamen diffi-
" cillime credere possem, etiamsi viderem admirationem as-
" sumo consideratis quanto lęto animo qua voluntate me in
" illis partibus existente, ad pacem et iniurias sublatis illas
" causas quas satis inclinare eo attentari videbamini: consi-
" deratis etiam, quod pax et tranquillitas Patrię magis
" nobis refert, quam cęteris, maxime ratione mercaturę,
" cui vos potissimum dediti estis sine qua exerceri non po-
" test, attentis non minus pręcibus et interpositione Duca-
" lis Dominij pręfati, cujus voluntati, maxime cum commo-
" dum utilitatem et honorem vestrum attinget merito vos
" informare debetis, scitis nam quam dulciter et favo-
" rabiliter in Civitate Venetiarum videamini, et quibus
" pręrogativis gaudeatis, et qualem fidem antedictum Do-
" minium vobis gessit in negotijs istis et alijs occurren-
" tibus. Multa quidem possent addici, quibus aliter crede-
" re non possum, quam quod intentionem firmam et
" solidam habeatis ad pacem et quietem hujus Patrię, cujus
" vos estis pars non exigua; licet aliqui aliter mihi demon-
" strare conantur. Propterea vestras Magnificentias effica-
" citer hortor, et rogo, ut sint de voluntate supradicti Do-

"nuncij mei, ut dicunt, vos certiores reddiderunt, et prędicta
"omnia utiliter ponderetis et vos taliter geratis, ut pax
"sive inducię et tranquillitas Patrię ex vobis processisse nos-
"catur et oppositum vobis objici non posit, nec humeris
"vestris hec onus imponi, sicut multi facere querunt. Placeat
"ergo vobis subito aliquod mihi rescribere, et quenam sit
"voluntas vestra me commonefacere. - Datum in Civitate Aus-
"trię, die 28 Julij 1411."

Demum ejusdem Veneti opera inducię inter Communitates prędictas ac Utinenses et utriusque partis fęderatos ad tres futuros menses subsequuntur, ut interim sublatis hinc inde offensionibus pax induceretur; sed jam altius quam cęteri existimabant belli cupiditas hominum animis insederat. Sigismundus nam Imperator et Pannonięque Rex cum se Patriarchalis dignitatis defensionem profiteretur Ortemburgio Comite id per litteras postulante, magnam equitum copiam preparaverat quam sub Philippi Florentini Themesvargensis Comitis auspicijs in Patriam mittere decreverat, ad quam mox ipse cum valido exercitu venturus erat. Interim vero Utinensibus a Guilielmo Comite ejusdem Imperatoris Oratore hujusmodi litterę redditę sunt.

"Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator
"semper Augustus, Hungarię Rex etc. - Fideles Dilecti nos-
"tri - Nedum ad nostri notitiam, sed ad partes orbis e-
"vigilans et laudabilis fama refulget de constantia incor-
"ruptę fidei, quam Sacro Romano Imperio et Sanctę
"Aquilejensi Ecclesię, vobisque Federico Comiti in Ortem-
"burgo in Patria et Dominio Forojulij Vicario per nos
"constituto, invicto animo ac mentis robore ostendistis;

"nam quid pretiosius, quidve in inceptis perseverantia quae,
"ex claris viros reddit clarissimos? Nihil profecto sanctius ex
"quibus, et multis aliis in vos concurrentibus virtutum me-
"ritis, quantum vos judicemus commendabiles, quantumque
"nos enuberemus ad gratias, longum praesentibus enarrare;
"cumque non qui inceperit sed qui perseveraverit, hic com-
"mendabilis sit et dignus; propterea fidelitates vestras horta-
"mur quatenus velitis ad conservandam famae vestrae integri-
"tatem in constantia erga S. Ecclesiam Aquilegensem et praedic-
"tum Federicum ejusdem Vicarium Generalem, exhibitae et pro-
"batae fidei persistere et ad rebellium subjectionem nobis ditaeque
"Ecclesiae, ejus Vicario Generali vestras vires adjungere quod a
"vestro jam firmo mentis affectu et firmo proposito non am-
"bigimus deprehendere, et sint hucusque fructus laudabiles fi-
"delitatis et constantiae autores, studeatis usque ad felicem crea-
"tionem et promotionem Patriarchae per Sanctissimum in Chris-
"to Patrem et Dominum Sanctae Romanae et Universalis Eccle-
"siae, summum Pontificem Dominum Nostrum Reverendissimum
"ex nostra voluntate et dispositione de persona utili, ac circum-
"specta faciendam, sic deinceps in fidelitate debita, et lauda-
"bili perseverantia persistere, pro ut spes et fiducia nostra
"tenet, quod initio acceptior finis respondeat, vosque capaces
"efficit meruimini nostrae Regiae gratitudinis, et amplioris de-
"lectionis. — Datum in Bonifpurch 14 Junii Regnorum Nostrorum anno
"Hungariae 23 Romanorum vero primo." —

His rebus ita se habentibus Bernardo Rebestaneo pro Austriaeis
Ducibus et Utinensibus id procurante, iterum usque ad vi-
gesimam die Novembris inter praedictas partes induciae per-
te sunt Rebestaneus substituto Joanne Mengeni Canonico

Prisulnense pro Utini Locumtenente, ad Austrię Principes se=
cessit, cumque induciarum finis instaret, Utinensis Locumtenens
predictus per litteras Tulmetinis, Ventionensibus et Glemonen=
sibus dedita opera exaratis treguarum prorogationem postu=
lavit, prout patet ex litteris quas hic non abs re apponen=
das duxi; ex quibus nam Venetorumque etiam Oratorum
litteris clare patet et colligitur Civitatem Austrię, Glemonam,
Ventionum et Tulmetinum, licet Ortemburgium Comitem tan=
quam Patriarchalem Vicarium acceptaverint, numquam tum sui
juris esse destitisse, prout ante illius adventum Oppida suis=
se demonstravi, semperque easdem Communitates ea que tam
ad pacem, quam ad bellum pertinere arbitrabantur, tanquam li=
beras nomine proprio tractasse usque ad Patriarchę creatio=
nem, non autem ad ipsius Ortemburgy nutum, prout plura
alia Oppida fecere. Litterę sunt hujusmodi.

" Honorandi et Magnifici Viri. Memores vos esse
" non dubito qualiter in negotio induciarum per Nobilem et
" Egregium Militem Dominum Burcardum de Rebertain inter
" partes hujus Patrię ad viginti dies factarum predicto Domino
" Burcardo propositum fuerat, quod esset spes prorogationis in=
" duciarum earundem ad tempora longiora. Cum igitur ter=
" minus induciarum presentium appropinquet, predictus Domi=
" nus Burcardus hic me constituit locum suum tenentem, quo=
" adusque revertitur ab Illustrissimis Dominis Ducibus Austrię,
" Gratiosissimis Dominis meis, quibus ibat locuturus de modo
" pacificandi et ponendi Patriam in statu tranquilliori et
" eiquaque hodie senserim, petens ab eo melius informari
" nequeo tum in tam brevi spatio propter loci distantiam
" super hujusmodi contractu responsum habere. Quare sup=

supplico Magnificentiae vestrae instantia, qua possum, quate-
" nus super prorogatione induciarum predictarum litteris
" vestris per latorem presentium me certiorem facere digne-
" mini ne forte finitis indutijs presentibus per partes hinc
" inde quid incommodi inferatur, cujus revera autor esse non
" cupio, pacis etenim et tranquillitatis diligens executor esse
" malumus; quam belli et discordie seminator. — Datum Utini
" in Castro Patriarchali 12 Novembris anno Domini 1411."

Sed Philippi Florentini Sigismundi Imperatoris Prefecti ad Patrie fi-
nes adventus cum duodecim Boemorum et Hungarorum Equitum
millibus, omnem pacis abstulit mentionem, ad quem Civitaten-
ses, superioraque Oppida quamprimum Forojulij ingressus est
auxiliaria militum subsidia omnesque generis tormenta bel-
lica ad Oppidorum expugnationem pertinentia transmisere
Is aucta auxiliaria manu Utinum obsedit eamque adhibuit
diligentiam, ut derepta Civibus quacumque subsidij spe per
deditionem res ad exitum perduceretur. Nec sententia fefellit.
Utinenses nam cum per dies aliquot Rebestam adventum,
Austriacorumque Principum auxiliares copias frustra expectas-
sent, Philippo Comiti eos Sigismundi Imperatoris et Aquilejen-
sis Ecclesie nomine acceptanti, se, suaque omnia dedere. Sed
Tristanus Savorgnanus, pluresque ejusdem factionis Cives, ad
primam deditionis mentionem, ad Venetos, quorum semper
partibus studuerant, aufugerunt, quorum bonis a Philip-
po publicatis, Savorgnanum vi captum deleri jussit, et ul-
tra Tilaventum eductis copijs Portumgruarium, Butaletum,
Sacilumque expugnavit, caetera nam Oppida ejus partibus
favebant

Dum vero Austriaci Ducis Vallem Cadubrij aggressi fuissent, qui

bus Utinensi amicitiæ et propinquitatis jure trecentos pedites
in auxilium miserunt. Philippus expugnata Serravalle, Bellu-
nensem quoque Civitatem obtinuit, indeque Castrum Botestani
devicit. Veneti interim ad primum Philippi in Patriam adven-
tum tum pro locorum conservatione cum etiam Tuscani pre-
cibus collecto sex equitum, octoque peditum millium exercitum
Carolo Malatesta Præfecto, ut Hungarorum insolentiam repri-
merent ad Patriæ fines se contulere, et Cordignanum vi
summa agressi, expugnarunt, cumque plurimis ultra Tila-
ventum illatis damnis Dignanum usque pervenissent, ibi a
speculatoribus cognovere Philippum audito eorum adventu, Ca-
dubrio obsidione liberato, magnis itineribus in Patriam rever-
ti. Quare ne in media hostium Regione cum Philippi exer-
citu dessertare cogerentur, iterum trans Tilaventum se rece-
perunt, cumque in Pratensem Comitatum pervenissent, Hun-
garorum, Boemorumque exercitum non longe abesse nuncia-
tum est. Carolus igitur ingentis animi vir, cum neque eun-
di neque standi sine discrimine modum esse videret, in-
struxit aciem, mercedinariis ex ea remotis. Idipsum faciunt et
hostes animis et viribus pares, ut dextrum cornu Hungari,
sinistrum Boemi, mediam vero locum Forojulienses copiæ tenerent.
Hungari tot elati victoriis, incredibili impetu hostes aggrediunt,
multisque cæsis in fugam conjiciuntur, dumque eos undique
premunt, et longius aliquantulum abducti Venetorum impe-
dimenta procul ab armatis sine presidio, sine munimento
stare conspiciunt; aviditate prædæ eo impetum faciunt.

Interim Malatesta qui in dextro sui exercitus cornu Boemo-
rum Equitum vim fortiter sustinebat, trepidus nuncius
aliorum militum fugam, et impedimentorum attulit

direptionem instante rei, commotus accepto electorum militum subsidio ad aliam exercitus partem se contulit omniaque timoris plena invenit. Militibus tanti viri adventu illata spes, et reintegrato animo, turmatim ad eum conveniunt, cumque majorem partem collegisset; Videtis ne, inquit, hostes prædæ detentos, et vestris impedimentis? aggredimini eos, acceptumque dedecus virtute delete, coram nam vobis victoriam polliceor. Nec fefellit consilium, nam impetu facto in Hungaros, eos, ut evenit secundis rebus, invenere vagos inter prædandum dispersos, raros equis insidentes, et paucos quibus ferrum in manu sit, ut Hungari prius victores passim cæsi sint cum neque coeundi in unum, nec arma capiendi spatium daretur. Dissipato Hungarorum comitatu Carolus circumventis a tergo militibus Boemorum equites adoritur, et novus factus clamor terruit hostium animos et in fugam convertit. Adeunt magna Boemorum et Forojuliensium pars ab insequentibus sit cæsa. Capto tandem Nicolusio Comite Pratensi, pluribusque non ignobilibus Viris prælii, cædisque finem fecit. Philippus cum in eo certamine periti Ducis militisque officio functus esset haud tamen insperata clade, exercitus colligere reliquias quanta poterat diligentia conabatur. Boemi vero, Hungarique milites desperatis rebus, incassum præcante, lacrimanteque Duce, noctis silentio castris excessere domum concedentes, quos postea Philippus, positis prius peditum reliquiis tutis in locis, necessitate coactus subsecutum est.

Non ignoro nonnullos esse qui proditionis hujusce causa Sigismundi mandato in ejus ore auro liquefacto immisso periisse: attamen Joannis Prate, comitis litteræ, Utinensibus conscriptæ,

prędicti certaminis fidem faciunt, Philippumque a militibus ignavi destitutum, se in Pannoniam contulisse. Sed et Ludovici Theccky Ducis, qui postea ad Patriarchatum assumptus est litterę, in quibus Tulmetinis Sigismundi in Patriam adventum significat, clare demonstrant, eundem Philippum cum Imperatore Rerum Forumjulij petijsse, prout et Tulmetini Oratores ad Sigismundum missi affirmant in eorum relationibus sepe dictum Philippum inter proceres vidisse.

Veneti tanta victoria, licet non incruenta, potiti mille nam et ultra in prima aggressione ex eorum militibus occisis et non pauci vulnerati fuere, Forumjulij magno aggrediuntur impetu, ut omnia timoris plena ubique conspicerentur. Tum Tulmetini posito prius ad Cavatium Lacus, qua iter in eorum Provinciam hostibus patebat, valido militum presidio, Putenicum, Nostario Comiti postulant quinquaginta, Oppido S. Danielis octuaginta, Ventionensibus octuaginta, Glemonensibus centum et quinquaginta, Spitimbergijs sexaginta milites eodem tempore in subsidium misere. Ventionensibus iterum ducentos alios pedites concesserunt, quos omnes cessante belli suspicione, gratias agendo reddidere, prout ex eorum litteris patet. Veneti vero dum ultra Tilaventum Palazzolum, Muzzanam, Sedeanum et S. Odorium Pagos, Tricanum quoque Castrum expugnassent, exercitum primo in S. Danielis, mox in Glemonensium fines ducere, captaque Artenea cum omnibus circumjacentium fines hostiliter peragrassent ab Oppidorum expugnationibus temperatum est. Exinde ultra Tilaventum exercitu ducto Frattinę Castrum in eo victorię cursu recepere. Motam quoque Oppidum Liquentię fluminis insidens multos per dies obsessum, et tam Oppidanorum, cum Ludovici Blaguia Comitis eo cum presidio

nisi, virtute viriliter defensum, illius cives, cum sibi omnes auxilii spem sublatam cernerent, eisdem per pactionem denique tradidere

---

Liber Quartus

Dum tot belli cladibus universa Provincia Forijuly vexabatur, Ludovicus Dux Tecchus a summo Pontifice Aquilejensis constituitur Patriarcha, cujus adventu aliqua pacis et quietis spes illuxisse videbatur: nam neque Veneti, licet victores, pacis consilia abjecerunt, utpote qui specialiter hujus Provinciȩ tum sibi conterminȩ quietem procuraverant et ratione, ut barbaris nationibus sublato ex ea bello, in ea se conferendi occasio tolleretur. Antistes vero convocato Generali totius Provinciȩ Conventu expositis damnis, ac injuriis undequaque illatis a Venetis acceptum dedecus resarcire, amissaque Oppida recuperare se decrevisse affirmant magna adauctus spe hostium audaciam reprimendi si omnes unanimiter ad communis libertatis defensionem conspirarent, adjunctis pręcipue validis Sigismundi Cesaris auxiliis, quȩ sibi ab illo tum amoris intuitu, tum Comiti Ortemburgi opera sibi summa affinitate conjuncti perlibenter pollicita fuisse profitebatur. Perspecta Ludovici voluntate omnis conventus omnium animi ad bellum inclinare videbantur. Quamobrem Veneti cognita per exploratores Antistitis voluntate, et quȩ ab eo ad ipsorum perniciem moliebantur, cum Ernesto et Federico Austrię Ducibus foedus ineunt, quo facilius Cesaris et Antistitis conatus irritos redderent,

64

prioriqne exercitui, eodem Malatesta Prefecto, multas alias copias adjungere.

Paulo etiam post octavum Diem Januarij Cadubriensium Legati Tulmetium devenere nuntiantes Federici Austrię Ducis exercitum in eorum finibus juxta Ampetium Pagum consedisse, sibique ingens imminere periculum quapropter opem ab eis rebus afflictis postularunt Tulmetini haud mora 300 peditum subsidium decrevere, quos sub Daniele Mistino, Nicolaus Janisco et Odorico Daciano Prefectis primo quoque tempore junctis alijs Utinensium Civitatensium, Glemonensium et Ventionensium auxiliarijs copijs jusserunt proficisci omnibus antistis jussu Daniele de Monte supremo Duce constitutum. Cum enim manus istę paulo supra Ampetium essent castrametatę et inimicorum et audacia inimicorum compressa esset a quotidianis incursionibus, quas in Cadubrium facere consueverant, destiterunt. Sed parum abfuit, quin post modicum tempus unius hominis insolentia Forojulienses et Carni maxime fuerint detrimentum recepturi. Quidam nam Negronus Pontilius summę inter Cadubrienses auctoritatis universis eorum copijs pręerat, vir quidem ad belli munere satis impiger, sed mira arrogantia incompletaque avaritia pręditus. Huic quidam Cadubrienses annonam pro totius exercitus usu curam demandaverant, eo pręsertim ut subsidiarijs militibus necessaria fuerit importari sed cum intestino quodam odio Tulmetinos prosequeretur nedum eis locum castrametandi incomodissimum tribuit, ita ut sub Dio esse viderentur; verum etiam quęstum pręcipue in commeatibus procurabat nec contentus, quod eis rerum omnium induceret necessitatem; corruptam etiam, ac fędam annonam pręebebat. Quod cum aliquamdiu milites, Duc=

torresque pertulissent, tandem comiti rem Danieli de Monte detulerunt, ut ipse, qui antistes jussu universis pręerat copiis, tot tantisque et incommodis et injuriis consuleret. Verum sive Negroni consilia ignoraret, sive ipsi se opponere non auderet rem quotidie differebat, ex quo deterior in dies fiebat Carnorum conditio. Consules quoque et Vicarius de his omnibus certiores facti rem primo parvi pendere, non etiam Carnos milites contemnere, et quadamodo despicere visi sunt; ita ut elatus Negronus dum nonnulli palam illius detestarentur avaritiam, immissis in eos satellitibus suis pluribus confectos vulneribus semivivos in castra detrusit. Exasperati, ut par erat et vięfati et milites ultionem moliuntur quotiescumque se dederit occasio. Evenit autem ut tertio Nonas Februarii a Negrono in domo Petri Notarii Cadubriensis ampetij incolę universas militum. Dudumque Conventus convocatus sit, exceptis Bulmetiis, quos ignominię causa arcessiri vetuerat. Hi ergo cum omnibus suis copiis a castris moventes Consilii locum adorti, dejectoque Hyppocausti ostio dum omnes timore perterriti tam repentini impetus exitum expectant, ne quis loco se moveat edicunt, nullum se lesuros, pręter eum a quo totius publicas privatasque injurias receperunt. Nec mora Negronum comprehendunt, qui se in Concilii potestate futurum et de sibi objectis rationem redditurum pollicebat, innumerisque vulneribus confossum et necatum frustatim conciderunt, indeque protinus recedentes Vecellium Vecellio, Antonium Barnabò et Petrum Notarium pręditum, Viros inter Cadubrienses primarios, tamquam obsides secum adduxere, mortem minati, si quis iter in Patriam impediret. Hisce cum pignoribus, peractis per Cadubriensium fines millibus passu-

um quindecim, ut ad montem Maurum perventum est, viros
illos ad suos remiserunt ipsique ad patrios Lares reversi sunt.
Paucos post dies Verellius et Antonius supradicti Edubricensium no=
mine Tubuctium applicaverunt, et contra militum Praefectos,
et milites ipsos in consilio hujusmodi orationem habuisse fer=
tur Verellius: Militum vestrorum dum Austriae exercitus nos=
tris finibus insedisset, praesidium postulavimus, illudque a vo=
bis Tubuctium Cives cum vestram nobiscum salutem conjunc=
tam esse nossetis, libenter praestantibus multo tum nostro ma=
lo recepimus. Ut non primum ad nos pervenire, sive sua per=
vicaci natura ducti, sive a suis Praefectis corrupti, nulli obtem=
perantes segniter, otiose negligenter omnia agere coeperunt,
nullo pudore nulloque metu coercente. Negronus Pontilius
Cominius noster nostrarumque Gentium Praefectus, Vir et con=
silio et manu promptus quantum nobis eorum pertinaci de=
trimenti propter hostium propinquitatem subsequi poterat, fa=
cile prospiciens, primo levius admonere, mox cum nihil profi=
cere cognovisset, asperius aliquanto minis etiam additis, ut re=
rum status exigebat cum eis agere coepit. Quare ingens in
illum vestrorum peditum odium exortum, ita ut caeterorum
militum seditionem concitare conati sint, sibi ab eo commeatum
prae aliis cariorem, corruptum, ac foedum tradi, ut quaestum
faceret, conclamantes, sed cum penes illos, qui viri illius inte=
gritatem probitatemque cognoverunt nihil proficerent eorum
malevoluta nullamque sibi fidem praestare viderent eo venit
effrenata audacia, ut tertio Nonas Februarii in ipso Concilii
loco, nobis omnibus (proh dolor!) spectantibus Negronum prae=
dictum crudeliter necaverint. Nec satis visum injectis nam
in nos impiis manibus tanti viri sanguine aspersis, ad

inimicum usque Maurum vinctos deduxerunt, ubi pluribus
affectos injurijs tandem dimiserunt. O efferata audacia! O
facinus gravi pena puniendum!
Has igitur publicas privatasque injurias prosequtum ad vos Bul-
metini missi sumus, ut audita vestrorum militum sociatis
fidei violatione sciatis quoque hec omnia cum manifesto
Cadubrij periculo, nec minori vestro dedecore perpetrata fuisse
Nec ideo nunc a vobis tam nefandi facinoris vindictam pos
tulamus, quod tunc vel animus, vel vires ad ulciscendam in
juriam nobis defuerint, sed quia incorporum sancte societatis
legibus videbatur etiam lacessitis in eos deservire qui nostre
fuerant a vobis communi fidei Instans inimicorum acie
distulit ultionem in tempus donec sublato ipsorum timore,
causam istam ad vos deferendi, ac de atroci crimine conque-
rendi facultas data esset. Quapropter hoc a vobis Bulme-
tini, petimus, enixeque postulamus ut tanti facinoris auto
res debita pena afficiantur. Quid nam fide publica reli-
giosius? quid societate sanctius? quid Magistratibus inviola-
bilius esse potest? Hos tam immanes homines nec vestre fi-
dei religio, nec mutue societatis sanctitas, nec publici muneris
reverentia a tanto potuit facinore divertere, quin et socios
quos publico edicto tuendos acceperant, deserent, et quan-
tum in eis fuit hostibus proderent et supremi Prefecti san-
guine Consilij sedes turpiter cruentarent. Quod si tunc hos-
tes in tanta rerum confusione nos et presidio vestrorum mi-
litum destitutos et Prefecto viro fortissimo orbatos agressi
essent, actum profecto fuisset de salute nostra, sed quos
suorum proditio destituerat, hostium ignorantia salvos fe-
cit. Non ignoramus illos pro exculpatione sua plura

Negrono crimina imposuisse, quorum nihilominus falsitas, si ea quae decet diligentia hujus rei veritatem inquiratis, facillime patefaciet et illius hominis innocentiam, ceteri militum Ductores demonstrabunt. Sed si quid dignum etiam animadversione in illos Negronus admisisset, non tamen ipsos decet milites in priorem Praefectus arma illico stringere, illumque indicta causa interficere, cum ne ipsis quidem Praefectis in milites si forte quidem culpabile, puniendumve perpetraverint inconsulto facere liceat. Facinus hoc militari disciplinae incongruum, humanis divinisque legibus contrarium atrox, immane, eorum singulari punitione dignum prorsus censendum est, ne imposterum militum animos obrepat pessimi imitatio exempli. Vos igitur cum vestri milites nostri praesidii causa missi, omnium rerum et consiliorum participes effecti, eos quos tueri debuerant non solum deseruerint sed etiam prodiderint et oppugnaverint, nunc demum, cognita veritate, quod ad vestram famam existimationem, salutemque communem pertinet prospicite, atque consulite

Postquam Vecellius dicendi finem fecit Daniel Misitinus, qui tunc Consilio aderat jactis a Janisco et Daiano in eum oculis, ita respondisse fertur. Si eamdem Cadubrienses diligentiam ad reprimendam singularem sui Praefecti temeritatem improbitatem, inexpletamque cupiditatem, nec non ad repellendas varias illius in socios de ipsis optime meritos injurias adhibuissent, qua in tam calumniosa accusationis institutione uti videntur profecto nec ipsi o cives eorum, a quibus toties defensi et conservati sunt salutem ingratissime impugnarent, nec nos pro improbissimi hominis nece apud vos causam diceremus

Nulla est enim in universo Forojulio Civitas, non Oppidum non Castrum fere est ullum quod non hujus calamitosi belli tempestate vestrorum a vobis peditum subsidium petierit et acceperit, plurique ex eis sue libertatis conservationem vestre, vestrorumque militum fidei acceptam referunt, quos quidem semper plurimis laudibus per litteras ornatos ad nos remisere, que posteris etiam tum vestram in Provincia conservanda diligentiam, tum vestrorum militum fidem et fortitudinem demonstrabunt. Nunc primo non illorum quidem errata, sed illorum quos tuendos missi fuerant perfidia effecit ut eorum accusationem audiatis, quam animadverti in duas divisam esse partes quarum altera sequitur cum vobis militie laboriisque detrectationes accusatores objicere ausi sunt; altera vero Egregij eorum militum Prefecti abitum deplorarunt. Atque harum duarum partium prima, que gravissima esse debebat, ita fuit infirma, et levis, ut Lex magis quedam accusatoria, quam vera dicendi facultas aliquid in nos dicere coegerit. Perspicite autem, o Cives, quanta sit innocentie vis. Videte quo defendam et quam longe a defensorum consuetudinem, contraneque discedam.

Omnes fere Forijulij Civitates pro virili Cadubriensibus contra Austriacos Duces militum presidia misere. Plures ex universa Provincia fortissimi militum Prefecti, et alij honestissimi viri, interfuere, qui militum vestrorum vel virtuti, vel ignavie testes esse potuerunt. Fides ergo alicujus militum Prefecti proferatur in qua vestigium sit aliquod, ex quo nostra, militumque vestrorum ignavia cognoscatur. Unum unum ex illis Prefectorum nihil tamque numero testem fide

dignum producant qui eorum in hac parte contineat accusationem, vere ab eis accusatum esse concedam. Multos profecto, o Cadubrienses satis idoneos testes et conscios videtur fortuna ipsa esse voluisse earum rerum, quæ apud vos a nobis gestæ sunt. Quem ergo ex tanto honestissimorum hominum numero testem ignaviæ nostræ potestis? Producatur: eo nos laudatore utemur eo teste.

Intelligitis igitur adhuc o Cives, qui id, quod ab initio vobis proposui verissimum sit, non vestrorum militum erratis, sed accusatorum perfidiam in causa esse, ut hanc in eos accusationem audiatis? Nonne vobis videntur isti maledicti potius convicciatores, quam vehementes accusatores? Quoniam itaque videtis, et cognovistis, qui nos, quomodo, et quam ob rem oppugnent, statuite nunc utrum a vobis hac in parte militum vestrorum toties probatæ exploratæque fidei et veritati credendum sit, an accusatoribus ipsis, quibus nec per iracundiam fides, nec propter infidelitatem honor habendus est.

Venio nunc ad Egregium eorum Militum Præfectum, quem quidem quo nomine appellem nescio; si enim eum avarum fraudulentum audacem dixerim, et perfidissimum, vereor ne gravioribus utar verbis, quam mea fert natura, aut levioribus, quam causa postulat. Quid nam tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quam eis a quibus beneficium acceperis, nedum parem gratiam referre, sed etiam malefacere! Audebuntne accusatores isti, licet impudentia sint præditi singulari, id negare quod omnibus palam est? Negronum sciliret? Nam nedum nos milites que nostros, qui Cadubrium pro illis sanguinem effundere, vitamque exponere parati accesseramus in hyeme sub Dio

pernoctare coegisse, verum etiam nefariam in comeatibus improbissimi questus rationem nobiscum exercuisse, cano=ra omnia ac eadem corrupta et fetida nobis exponendo. ita ut fuerit militibus nostris propter sociorum avaritiam inedia pereundum, nisi ipsimet saluti sue consuluissent? Quid hoc autem nedum universo illo exercitu Prefectisque omni-bus, sed toto etiam Cadubrio clarius? Quid indignius, quid ma=nifestius proferri potest? Illius tam omnis improbitatem quam fieri potuit dissimulavimus, sed cum in dies deterius dilabo=remur, rem Danieli de Monte, qui Forojuliensibus copiis pre-erat, detuli, cum eoque instanter egi, ut Negroni, si fieri poterat, compesceret cupiditatem, et ut nequis de hac re inter suos tumultus oriretur, precaveret. Egit Cives quam potuit accurate, ut eum ad meliorem frugem reduceret, quod quidem ipsius Danielis littere ad vos publice conscripte attes=tantur.

Placente vobis Cadubrienses ita geri Magistratus? aliter profecto, et ut prudentissime statuit Solon qui plebis fraude Magistra=tibus vero et Populi Gubernatoribus velocia supplicia constituit. existimabat nam ab illis quovis tempore sumi posse penas, his enim moram ultionis non admittendam. Tantis nihilomi=nus et tot affecti injuriis nil repentinum, nil impetuose agen-dum esse duximus, sed vobis quamprimum hec omnia signifi-care, ut quidnam in hac re nobis agendum esset decerneretis, sed vicit demum incredibilem nostram nostrorumque mili-tum patientiam una hec singularisque illius hominis ne=quitia, que nec a nobis sine perpetua infamia dissimulari, nec sine scelere ullo modo poterat tollerari. Dum nam non=nulli milites viri huius palam damnarent avaritiam, tan

his repente furor sceleris et audaciae comes effrenatum Negroni animum oppressit, ut in eos ultimati expectantes quamplures suae nequitiae satellites immittens pluribus affecerit vulneribus et vitae periculum subire coegerit, nisi plures, qui supervenerant, Glemonae, Venthonique milites eorum impetum repressissent a quibus semivivi milites nostri ad nos relati sunt. O consuetudo peccandi, libera quantam habuit jucunditatem in improbis, ac audacibus cum poena abfuit eo licentia conjuncta est! Ego fateor, o Cives, militum vestrorum impetum continuimus ne illico in Cadubriensium catervas arma pararent, sociorumque suorum injurias vindicarent ita ut magna hinc clades subsequi potuisset, nisi animus hominis nos innoxios a caede praeservasset, cujus quidem poena licet justissima, nimis tam tarde sumpta et vestrorum militum existimatione consuluit et liberum eis ad nos reditum reservavit. Si non poterat Negronus per vim ac se-lus quod libebat, et quod poterat et audebat, quid nobis erat agendum? cujus hominis fides imploranda? Aut quomodo illo vivo ad nos milites incolumes reducere potuissemus? Quamobrem cum haec esset nobis proposita conditio, ut aut juste, pieque tot injurias ulcisceremur, militesque nobis commissos servaremus, aut acerbe, indigneque omnes moreremur, injurias ulcisci, quam ullo modo emori ignominiose satius esse duximus. Hunc enim hominem quisnam, his rebus cognitis circumventum dicet, aut indigne interfectum, aut propter illius necem societatis jura a nobis esse violata? Numquid ullum ab eo societas in nos officium prodiit, aut non potius universa illius consilia scelus, vim latrocinium, omnia denique praeterque jus, quam af-

tiorum quam probitate continentant? Enimvero cum non idem fit amicorum et hostium genus, sed a factis horum utriusque censeatur, et eos qui hostilia faciunt tanquam hostes ulcisci lex liberum faciat; nobis profecto hominem illum, qui nos toties contumelia affecerat, cujus auctos prudentes, ac boni viri difficillime patiuntur, fame postea, inedia et gladiis demum ipsis conatus est interficere, impune cecidisse licuisse dicendum est. Hæc sunt quæ a nobis pro publici, privatique nominis conservatione acta sunt, quæ licet non sine scelere, nec sine perpetua vestra infamia omitti potuerint, non tum a vobis Civica corona, tot civibus vestris conservatis Romanorum more donari postulamus, sed duntaxat ut decernatis, quod tantum scelus a corpore, a capite, ac vita demum ipsam cum illius improbissimi hominis, nece impune nobis licuerit propulsare. Demum hoc vobis persuasum esse cupimus, gratum esse populis præmiis afficere benemeritos de se cives, virorum enim fortium ne suppliciis quidem illis moveri, ut fortiter eos fecisse peniteat.

Mystini orationem audientium fremitus subsecutus est; remotis enim aliis, consilii sententia hæc fuit, ut per Judices omni diligentia de hac re inquiratur, qui postea de statu causæ Consilio referant a quo æqua lance quod equitas et justitia postulaverit, decernetur, sicque Cadubriensium Oratoribus responsum est.

Sed has civiles controversias publice Forojulii res in aliud tempus distulerunt. Sigismundus nam Imperator cum 12 equitum, octo vero peditum millibus Provinciam ingressus Arcium Castrum obsederat, cui Tulmetini Antistis jussu pedites suos, et bellica instrumenta ad urbium expugnationem necessaria

71 contulere pauloque post capto Arrio, dejectisque undique
Venetorum copijs; Caesaris exercitus eodem Philippo Florenti-
tino Duce omnia Forojulij Oppida Castraque, prius a Vene-
tis devicta recuperavit, et trajectis ultra Liquentiam copijs, Mot-
tam, Oppidum eidem flumini insidens, obsedit, in quo Veneto-
rum praesidium residebat. Sed cum 14 Kalendas Augusti sex
militum Venetorum millia, qui pro tollenda Mottae obsidione
adveniebant, in hostes inopinanter incidissent, facta est tu-
multuaria pugna, in qua ex Venetis quamplures cadere, re-
liqui fugam arripuerunt. Pannones recuperato Oppido, pari
facilitate caetera quoque omnia Tarvisium usque recepere.
Quare Veneti Carolum postea Malatestam cum valido exer-
citu hostium conatibus objecerunt, qui cunctando potius
quam aperte dimicando eorum insolentiam, ne ulterius
progrederentur, continebat, ita tum ut eos saepe captata
occasione, per agros nullo ordine migrantes male affectos
pedem referre coegerit, et assiduis concursationibus valde
attritos redderet.

Demum Sigismundus belli taedio affectus, et Concilij Generalis,
quod ante Constantiae dixerat et inchoaverat, perficiendi cu-
pidus, Thoma Mocenigo, et Antonio Contareno Venetorum Lega-
tis Tergestum, quo ipse multo antea se contulerat, sub fide
Regia ad se vocatis, quinquennales cum eis inducias iniuit. Hujus
postea Caesaris opera et diligentia Constantiense Concilium per-
ficitur, in quo fides Christiana, quae jam multis annis titubare
videbatur, fortiter refloruit; in eo nam depositis alijs pro
Pontificatu contendentibus, Martinus V. qui prius Columna di-
cebatur, Pontifex electus fuit et ita Schisma pessimum, anno-
rum fere 40, finem habuit. Ibi quoque plures haereses dam-

natę, et duo Heresiarchę Joannes Hus, et Hyeronimus combusti sunt, pluraque alia ad Christianę fidei unionem pertinentia pii ipsius Cęsaris opera instituta sunt.

Exacto induciarum tempore, bellum iterum hinc inde restauratum est, et anno Domini 1418 quinto Idus Maij Philippus Arcelius cum Venetorum copiis Serravallem aggreditur, et cum altera ex arcibus edito loco sitis expugnat. Qua re cognita Christophorus Cucanous ultra Tilaventum ale Antistite Locumtenens constitus, una cum Vinceslao Spilimbergo, et Jacobo Valvasono furtim recedens, cum expedita militum manu celeri gradu Serravallem, et Venetos nihil expectantes aggreditur, et a Boemis adjutus, qui ad alterius arcis presidium morabantur, Oppidum et arcem captum recuperant plurimis ex hostibus interfectis, ceteris vero in fugam conjectis.

Eodem fere tempore alius Veneti exercitus pars una cum Tristano Savorgnano in qua erant equites bis mille, Tilaventum pertransivit, et vastatis undique agris ad Utini menia se contulit, captisque quamplurimis, quam prede onusti milites inde recedentes inter Oppidum S. Danielis et Lacum ibi proximum castrametati sunt. Quare Tulmetini Oppidanis S. Danielis, Simoni de Colloreto, ac Faganiensibus, ita per litteras postulantibus, sagittariorum presidium tradiderunt. Hostes vero cum Antistitis copias Utino egressas, Joannemque Colloretum cum adjacentium Castrorum militibus per exploratores appropinquare cognovissent, ultra Tulmentum se recepere. Quarum dum timeret adventum Fontesius Polcenici Comes 40 sagittarios per litteras a Tulmetinis petiit et recepit.

Tristanus postea et Venetorum militibus Campam Oppidum

76 dicto loco situm, undique prius depopulatis agris ma-
gna vi aggressi fuerat. Sed Boemi ad loci presidium consti-
tuti hostes viriliter excipientes, multis eorum interfectis plu-
ribusque vulneratis, amissa omni preda, ab Oppido recedere
coegerunt

Lodovicus ergo Patriarcha tanto se bello viribus imparem esse
cognoscens ad Sigismundum auxilia conducturus in Pannoniam
se contulit, relictis Henrico Concordiensi Episcopo et Federico
Wetesteino Forojulii Locumtenentibus. Anno postea 1419 Ve-
netorum exercitus sub eisdem Ductoribus iterum una Bila-
ventum se contulit, cumque Castrum Poganum Villaltam,
Caporiacum, et Muruttium per deditionem recepissent vastatis
prius Coloreti agris, quia Simon et Joannes, ac ceteri illius
Castri Consortes imperata facere renuaverant, ad inferiora
Patrię loca profecti sunt. Quare Utinenses timentes ne Gmaren-
sibus ab eis obsiderentur has Tulmetinis litteras tradiderunt,
ut ab eis tam ad illum quam Portugruarii defensionem
presidium obtinerent.

" Honorabiles, prudentesque Amici nostri singu-
" larissimi salutem optimam et omne bonum. Dominus Locum-
" tenens et nos heri mittebamus ad vos et Glemonenses et
" Ventionenses honorabilem virum Jacobum Cergnenum cum
" litteris credentialibus Domini Locumtenentis et nostris, sed
" quia in itinere ab hostibus aggressus fugam arripere coa-
" ctus fuit, nec audet amplius illuc se conferre, rogamus
" ergo amicitias vestras, ut coadunare velitis majorem gen-
" tium numerum, prout vobis possibile visum fuerit, et
" precipue sagittarios, eosque paratos tenere, et casu quo
" necessitas incumberet propter hostilis exercitus insidias, no-

"bis velitis quam ocius me subvenire dum a nobis fueritis
"requisiti, prout et nos, eveniente casu, sumus et erimus
"ad omnem requisitionem vestram pro virili parte parati.
"Interim Oratores nostri concordiam procurant, que Deo dan-
"te sequetur non obstante quod Civitatenses illa omnino
"perturbare querant, eo solliciti sint ad damna nobis infe-
"renda, prout colligere potestis ex certarum litterarum
"exemplo suorum Oratorum per nos interceptarum, quas
"vobis dirigimus presentibus inclusas. Preterea multum sol-
"liciti sumus de Portusgruarij, quum Oratores nostri nobis
"scribunt magnum ei periculum imminere, presertim ob
"instabiles Ruralium mentes qui plures et potentiores sunt
"in Oppido ipso quam Cives: et cum hodie hostium exer-
"citus ad eorum damna iturus sit, petunt a nobis pedi-
"tum subsidium, quod eis missum sumus, nec dubitamus quin
"nos illud idem facturi sitis, quos omnibus in rebus ad
"Patrie libertatem conservandam pre ceteris promptiores
"esse cognovimus. Valete - Datum Utini 12 Maij 1419.-
"Decem Deputati ad Regimen et Consilia et Communo Terre
"Utini."

Veneti conductis ad Portumgruarij Oppidum copijs cum admotis
undique bellicis tormentis illud expugnaturi viderentur con-
sternati Oppidani obtentis primis tridui inducijs, quarta
obsidionis die in hostium potestatem concessere. Tot elati
victorijs ad Utinum obsidendum se contulerunt, quo paulo
ante validum Tolmetij, Glemone et Ventioni presidium
supervenerat; sed ibi aliquot diebus frustra consumptis,
cum nulla fieret deditionis mentio soluta obsidione
ad Austrie Comitem profecti sunt, direptisque circumjacen-

tibus Pagis, cum inter Civitatenses et Venetos de concordia et unione ageretur, Veneti prope Qualium Pagum stativa posuerunt. superiora enim Oppida cum per exploratores cognovissent eos ad ipsum damna profecturos, Tulmetini viam prope Lacum Cavatiensem, per quam in eorum Provinciam patet iter, magno presidio imposito muniere, Ventionensibus quoque et Glemonensibus tradito militum presidio. Nec multo post Veneti equites in Pramperginos colles currentes, omnibus illis vastatis, captaque et depredata antenna cum nonnullis Glemonensibus extra Oppidum deprehensis ad ipsum usque Oppidum cucurrero; quare Glemonenses cum Tulmetinorum presidio facta repente irruptione hostiles equites aggressi sunt et aliquamdiu acriter inter eos pugnatum est. Demum vero Veneti locorum difficultate et hostium multitudine, undique in eos confluentium pedem referre coacti sunt, nonnullis ex eis vulneratis, tribusque ex equitibus captis.

Interim sexto Idus Julij Civitatenses ad Venetos deficiunt, et ab eis in societatem recepti ea lege, ut Sigismundo Cesari et altери cuicumque a superioribus partibus descendenti adversarent, bonaque omnia Tristani Savorniani, eorumque attinentium, qui Venetorum partibus studuerant restituerent, conscriptas variis artibus dissimulare conabantur. Sed cum omnibus Ludovici partes sequentibus fidem suam suspectam esse cernerent, misso demum 8 Augusti Kalendas ad Utini januas tibicine se publicos antistitis et Utinensium hostes professi sunt; ceterorum tum Popularium animos rei novitate consternatos Dederici Valentinis ex Pannonia reditus exhilaravit. Is nam. Ludovicum a Buda Civitate se rece=

ipse cum magnum equitum numero paucosque post dies adfuturum esse retulit, et demum Ludovicus octo secum habens equitum millia in Forumjulium pervenit collectisque et superiorum et inferiorum Oppidorum copiis ad Butemicum agrum consedit et Civitatenses obsidere coepit cujus interim jussu, Pletam viam nequod inde Civitatensibus auxilium proficisceretur Tulmetini et Ventionenses obstruxerunt. Sed cum multis circa urbem ipsam consumptis diebus nulla p~~exvin~~ aut deditionem illam consequendi spes appareret, et Thadei Estensis cum Venetorum exercitu adventum cognovisset, urgente jam frigore, vastatis undique circa Oppidum aedificiis et arboribus cum equitibus ipsis iterum in Pannoniam rediit, majorem ut ajebat, Veris tempore militum numero adducturus.

Dum omnium animi suspensi rei eventum expectarent, Antistis absentiam rebus suis plurimum conducere existimantes Veneti cum octingentis equitibus et peditum quatuor millibus, Thadeo Estense Praefecto Feltrum obsiderunt. Quare de propria solliciti salute Bellunenses propter hostium propinquitatem per Michaelem Millarium Oratorem suum 6 Kalendas Martis 1420 a Tulmetinis peditum praesidium rogaverunt, quibus ipsi omnia ad eorum usum necessaria aere proprio durante bello pollicebantur, eisque Tulmetini centum milites sagittarios concesserunt, quorum tamen opera uti non potuerunt. Feltrenses nam gravi pressi obsidione omnique auxilio destituti paulo post sub Venetorum imperium devenere, eo statim exercitus tanta Bellunum cinxerat obsidione, ut frustra milites nostri ad eos ingredi conati sint. Quare Tulmetini eosdem Cadubrium proficisci jusserunt, ita petentibus Ca-

90 rasmo Visacco Cadubrij Capitaneo, et ipsius loci Communitate.

Interim pridie Kalendas Aprilis Civitatenses cum Venetorum præsidio Castrum Rosarium aggrediuntur, sed plurimis eorum interfectis et vulneratis præsidij virtute, re infecta, decessere, et eodem fere tempore Aloysius et Nicolaus Strassoldi ad Venetos defecerunt, Thadæo Estense Venetorum Reipublicæ nomine eos in societatem recipiente, eodem quo Civitatenses jure fuerant accepti, et quia Strassoldi Juinum Castrum possidebant pro quingentis aureis per eos erogatis actum inter partes est, ut quatenus Castrum illud ad Tristani jura pertineret, Venetorum Princeps hujusmodi definiret controversias. Ineunte demum mense Majo Bellunum quoque ad Venetos pervenit, qui paulo postea negotio, Seravallem et exinde Coneglianum et Sacilum, et multa ultra Tilaventum Oppida et Castra recepere moxque hostes ipsi diruto prius funditus Pratæ Oppido, flumen ipsum transeuntes, cum omnibus copijs Utinum obsidione cinxerunt, dumque sexcenti Veneti milites, ut se cætero exercitui conjungerent prope Cordovatum Castrum pervenissent, a Nicolussio Pratense, Federico Partiliense, Jacobo et Volrico Valvasonijs, ac Francisco Prodolonio cum Forojuliensibus copijs in fugam versi sunt, pluresque eorum interfecti.

At Utinenses, cum interim undique gravi premerentur obsidione, nullamque auxilij spem in Antistite repositam esse viderent, cujus reditum, licet pluries per litteras requisitus fuisset, frustra tot mensibus expectaverant, omnio subsidio destituti præter eos quos a superioribus Oppidis milites acceperant, ne sibi postea graviora pati contingeret, si ultimum belli eventum expectarent, pactis cum Venetorum Præfectis indu-

51

,ijs, ut eis ad Venetum Principem Legatos suos ad certum die
mittere liceret, se tandem suaque omnia Venetis tradidere.
Capto enim Utino, Estensis recepto prius Colloreto et adjacen-
tibus Castris, omnes copias ad superiora Oppida conducunt, et
cum Glemona et Ventionum omni auxilio spoliata in Vene-
torum potestatem devenissent, Tolmetium quoque postquam
omnia fidei et gratitudinis argumenta fedata esse vidisset,
Venetorum patrocinio voluntarie se submisit, servatis tamen
privilegiis, sibi antea ab antistibus concessis. –

Finis.

Indice Documenti inseriti.

1389. 17 Febbraio. – Lettera del Comune di Udine al Comune di Tolmezzo sulla morte di Federico Savorgnano. pag 42

1401. 2 Maggio – Da Pedemonte Lett.a del Patr. A. Gaetani al Com. di Tolmezzo, dà conto del suo viaggio a Napoli, accoglienze ec. „ 43

1401. 11 Novembre – Da Reichelsdorf. Roberto Re dei Romani scrive al Com. di Tolmezzo domandando il passo per suoi armati, e vettovaglie ec. „ 44

1409. 16 Marzo – Da Venezia Antonio Da-Ponte Patriarca Aq. partecipa al Com. di Tolmezzo la sua elezione „ 47

1411. 23 Maggio – Da Brescia Malatesta e Pandolfo Malatesta mandano con credenziale, ivi inserta, ambasciatori a Tolmezzo (pare per far Patriarca un loro figlio). „ 48

1410. 3 Settembre – Da Prodolone. Consorti di Prodolone scrivono a Tolmezzo raccomandando di non nuocere a Melso. „ 49

1410 8 Novembre – Venezia. Ducale al Com. di Tolmezzo, esorta alla pace „ 50

1411 9 Giugno – Venezia – Credenziale ad Ambasciat. Veneti in Friuli p. pace „ 53

1411 28 Luglio – Cividale, Venier ambasc. Veneto al Com. di Cividale eccitandolo a non procrastinare la conclusione della tregua di cui Venezia è mediatrice. „ 53?

1411 14 Giugno – Tenisburg? – Sigismondo Imp. al Com di Tolmezzo acciò sia favorevole all'elezione del Co. d'Ortemburg, Vicario Imperiale in Friuli, al seggio Patriarcale. „ 36

1411. 12 Novembre – Udine. Il Luogot. degli Austriaci ai Com. dell'alto Friuli acciò prolunghino le tregue. „ 38

1419 19 Maggio – Il Com. di Udine a Tolmezzo perchè mandi gente a difesa di Pantagnano „ 76

BIBLIOTECA CIVICA UDINE

presidium; tum etiam, ut si Barbari in Forumjulij ingredi conarentur, Oppidum in alpium radicibus tamquam firmum propugnaculum eorum incursionibus opponeretur.

Sunt preterea Pagi nonnulli tam supra, quam infra locum, in quo Julium esse diximus, quorum nomina redolent antiquitatem, ut Formię, Setia, Arcta, Nuceria, et Satrium, quorum incolę etiam nostra tempestate pavimentorum vermiculato opere fragmenta, marmoreasque columnas fractas exaravere. Urne quoque in quibus mortuorum cineres antiqui reponebant reperte sunt, nec non plure sepulcra e magnis quibusdam saxis excisa.

Probat insuper tum nobilitatem, tum antiquitatem vetustissimum Templum in elato montis cacumine positum, et Apostolorum Principi dicatum, cui Prepositus cum octo Canonicis inservit, quorum quidem Capitulum, preter Aquilejense, cetera totius Patrię vetustate precedit, habetque Prepositus locum, authoritatemque suffragij in Generali Patrię Parlamento.

Multa preterea extant in ipso Vico Julio antiquitatis vestigia, ac inter cetera in vestibulo Ecclesię Divi Leonardi temporis injuria adesum quoddam saxum, in quo hujusmodi littere inspiciuntur.

S.S.S.A

PECVNIA . REFECERE . ET . INAVRATA

IN . FASTIGIO . V